

175 JAHRE TEUBNERBÜCHER
LEIPZIG
1811-1986

AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN DER DDR
ZENTRALINSTITUT
FÜR ALTE GESCHICHTE UND ARCHÄOLOGIE

BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA




BSB B. G. TEUBNER VERLAGSGESELLSCHAFT
1986

MARTINI DORPII NALDICENI
ORATIONES IV

CVM APOLOGIA ET LITTERIS ADNEXIS

EDIDIT

IOSEPHVS IJSEWIJN



BSB B. G. TEUBNER VERLAGSGESELLSCHAFT
1986

Bibliotheca
scriptorum Graecorum et Romanorum
Teubneriana
ISSN 0233-1160
Redaktor: Günther Christian Hansen
Redaktoren dieses Bandes:
Christian Collatz und Günther Christian Hansen

ISBN 3-322-00267-5

1. Auflage
VLN 294/375/6/86 • LSV 0886
Lektor: Dr. phil. Elisabeth Schuhmann
Printed in the German Democratic Republic
Gesamtherstellung: INTERDRUCK Graphischer Großbetrieb Leipzig,
Betrieb der ausgezeichneten Qualitätsarbeit, III/18/97
Bestell-Nr. 666 303 7
04600

CONTINENTVR HOC VOLVMINE

PRAEFATIO

1. De Vita Martini Dorpii

Martinus Dorpius Bartholomaei F. Henrici N. Hollandus natus est Naldovici (vulgo Naaldwijk) anno 1485, mortuus autem est Lovanii ultima die mensis Maii anni 1525.[1])

Pater eius villicus erat abbatum abbatiae Egmondanae seu Ecmundanae, necnon et scabinus Hagiensis. Martinus primas litteras domi, ut videtur, didicit, dein Ultraiecti in Schola Hieronymiana apud magistrum Ioannem Symonis Delphum. die 4ª mensis Decembris 1501 nomen eius relatum est in album studiosorum Lovaniensium. artibus dum studet, convictor erat Paedagogii seu Collegii Lilii (vulgo De Lelie), ubi et Ioannem Despauterium Ninovitam Flandrum, grammaticum mox clarissimum, inter seniores novit et audivit, fortasse et Erasmum, conterraneum suum, primum salutavit. is enim anno 1502/03 Lilium brevi visit.

Postridie Kalendas Apriles anni 1504 Magister Artium factus est et paulo post in Collegio suo 'legens' est creatus in philosophia. ab eo itaque tempore Dorpius iuniores studiosos dialecticam docuit ac litteras Latinas, ipse interim studia theologica aggressus est. litterarum humaniorum id temporis unice amans Liliensibus suis dialogos scenicos composuit itemque comoedias Plautinas in scaenam commisit. Aulularium itaque egit die tertia Septembris 1508, Militem Gloriosum vigesima, ni omnia fallunt, Februarii 1509. qua litterarum fama tunc floruerit res variae demonstrant. mense Martio praefationem scripsit in Syntaxin Despauterianam. eodem etiam anno magistratus Lovaniensis ei Poetices cathedram obtulit in Facultate Iuris Civilis. quem honorem tamen recusavit, a Ioanne Briardo theologiae professore quasi compulsus ut rebus divinis potissimum se daret, relictis litterarum nugis. anno demum 1512 Lutetiae Parisiorum typis edita est eius *Introductio ad Aristotelis libros Logicae intelligendos*.

Anno 1510/11 tres gradus baccalaureatus theologici ascendit: die 27ª Iunii 1510 factus est 'baccalaureus biblicus' itaque Theologiae

1) De vita Dorpii videsis imprimis H. De Vocht, Monumenta Humanistica Lovaniensia, 63–408, et J. IJsewijn, art. Dorp, in: Collected Works of Erasmus, Biographical Register I, Toronti 1985, 398–404.

Facultatem intravit et biblicam exegesin docere exorsus est. eodem etiam anno 'baccalaureus sententiarius' est creatus, denique ante diem nonam Augusti 1511 'baccalaureus formatus'. studia haec theologica poetam et grammaticum iuvenem ad austeriores litteras a Musis averterunt. anno 1510 bis publicam orationem habuit, nempe die 15ª Augusti *Contionem de divae Virginis Deiparae in caelum assumptione*, quae doctrinam scholasticam omni ex parte spirat; die dein tertia Decembris *Orationem in laudem Aristotelis dictam*, qua in Laurentium Vallam vehementer est invectus, quod Aristotelis censuram agere ausus esset. imo tamen in pectore humanioribus litteris sese nondum abdicaverat, ut Kalendis Octobribus 1513 aperte ostendit oratione, quam nomine Facultatis Artium ad inaugurandum annum academicum habuit *de laudibus singillatim cuiusque disciplinarum ac amoenissimi Lovanii Academiaeque Lovaniensis*. at curriculum theologicum ingressus vellet nollet poeticum magis magisque relinquere debuit, etiamsi amicos grammaticos et poetas semper coluit, sua quoque opuscula iuvenilia ex ordine edenda curavit. gradus autem cursus theologici et mox sacerdotalis fuerunt hi:

Die 9ª Augusti 1511 Meinardus Man, O. S. B., abbas Egmondanus, primum beneficium ecclesiasticum Dorpio contulit eumque 'personnatum' sive pastorem parochiae Transschidanae (vulgo Overschie) apud Hollandos creavit.

Inter diem 14ᵃᵐ Octobris 1513 et 11ᵃᵐ Februarii 1514 factus est licentiatus theologiae.

Die 27ª Februarii 1514 alterum beneficium accepit: capellanus factus est in ecclesia parochiali Nordovicana (vulgo Noordwijk), quae etiam est apud suos Hollandos.

Ante diem 14ᵃᵐ Iunii 1515 sacerdos ordinatus est Ultraiecti in patria dioecesi. ubi Lovanium rediit, doctor theologiae creatus est itaque 'Magistri Nostri' dignitatem adeptus est. die 30ª Augusti novellus doctor Concilium Facultatis Theologiae rite intravit. quinque diebus post Lilium reliquit ut praeses fieret Collegii Sancti Spiritus, quod Collegium erat Theologorum. denique die 30ª Septembris admissus est 'ad regentiam', i. e. theologiae professor ordinarius factus est, praebenda simul ditatus in ecclesia Sancti Petri in urbe Lovaniensi.

Reliqua eius vitae pars docendo et scribendo tranquille peragi potuit, nisi propter humaniores litteras et Graecam linguam tum Erasmo tum collegis suae Facultatis ex ordine deinceps offendisset. nam controversia epistolaris anno 1514 medio mense Septembri orta est inter Dorpium et Erasmum. quae controversia ab initio amicitiae fines non transcendit, procedente autem tempore variisque de causis aegrescebat. at Thomas Morus litteris die 21ª Octobris 1515 ad Dorpium datis graviter eum reprehendit reprehensumque ad Erasmi partes reduxit. quem reditum in concordiam fidemque suam humanisticam Dorpius publice professus est die sexta Iulii 1516, cum praelectionem aestivam Epistolarum Sancti Pauli extra ordinem inciperet *oratione de laudibus Pauli*, *de litteris sacris ediscendis* etc. at moverat theologorum Camarinam! ultima die Septem-

bris Dorpio regentia (quae semper in unum annum concedebatur) non est confirmata. itaque Erasmus, cum esset Lovanii anno 1517, Briardum convenisse videtur ab eoque impetrasse ut Dorpio regentia in annum academicum 1517/18 restitueretur. autumno autem 1519 nova oratori nostro tempestas exorta est. causa erat eadem oratio Paulina, quam die 27ª Septembris Antverpiae typis edendam curaverat. iterum igitur in iram theologorum incidit et Collegio suo eiectus est. quae ira Dorpium per diuturnum satis tempus sollicitavit, ut est videre ex Apologia orationis suae, quam anno demum 1521 Meinardo Mannio, patrono suo, misit. postea tranquillitas reddita est, sed Dorpius in posterum a scribendo fere cessavit, rebusque academicis administrandis potius vacavit quam studiis. anno 1523 Universitatis rector erat a die 28ª Februarii ad ultimam Augusti.

Martinus Dorpius, qui Erasmo teste[1]) non erat vir fortis et sibi confidens, ingenio ad litteras et Musas erat propensior, tempore vero et patronis in theologiam pertractus est. quo factum est ut animi dotes satis divites mox quasi exaruerint studiaque humanitatis apud Belgas magnam iacturam fecerint.

2. *Conspectus Operum Martini Dorpii*

Opera Dorpiana breviter iam recensebo et uno quasi in conspectu proponam. sunt autem philosophica, dramatica, oratoria, poetica et epistolica.

a) Philosophicum opus extat unum Dorpii studiosis fere ignotum. cuius titulus est: *Martini Dorpij Naldiceni, philosophiam Lovanii in percelebri Lilianorum gymnasio docentis, Introductio facilis et oppido quam syncera ad Aristotelis libros logice intelligendos utilissima, in qua compendio velut indice notat quenam sit nominalium a realibus in dialectica discrepantia.* sequitur xylographia cum nomine typographi: Gilles de Gourmont.

f. [Cvi^v] colophon legitur: *Terminorum Martini dorpij Naldiceni philosophiam lovanii in Lilianorum gimnasio docentis Finis. impressum in alma parisiorum achademia per Henricum Stephanum e regione scole decretorum commorantem pro honesto viro Egidio gourmuntio, anno Domini 1512 octavo Idus Decembris.*

Unicum huius libelli exemplar superest in bibliotheca Collegii Pembrokiani Oxoniensis. continet f. Ai^v: *Dorpius ad libellum* (senarii sunt iambici decem); f. Aii^{r–v}: epistolam praefatoriam: *Generoso et cumprimis illustri adulescenti Gisberto Bronchorstio principi Batenburgensi Nicolaus Buscoducensis Salutem.* in fine epistolae haec legitur salutatio: *Vale. Lovanii ex gymnasio nostro liliano, quarto Idus Novembres anni a Christiano natali supra sesquimillesimum duodecimi.* ff. Aiii^r – [Cvi^r] legitur *Introductio* binis columnis per singulas pagellas disposita.

---

1) Anno 1517 in epistola ad Petrum Aegidium: *quavis muliere inconstantior* (Allen, III 637, 11); anno 1524 ad Conradum Goclenium: *ille natura timidus est* (Allen, V 1437, 188).

Bibl.: Brigitte Moreau, Inventaire chronologique des éditions parisiennes du XVIe s., t. II: 1511–1520, Parisiis 1977, 124 n° 297.

b) Opuscula dramatica

Tria supersunt huius generis specimina, nempe *Dialogus de Hercule*, *Prologus in AulularIam Plauti* cum complemento actus quinti, item *Prologus in Militem Gloriosum*. haec omnia primum edita sunt Lovanii anno 1514 ex officina Theodorici Martini (Dirk Martens), dein c. 1764 a C. F. de Nelis e typographia academica Lovaniensi (quae editio tamen numquam est publici iuris facta), demum a J. IJsewijn annis 1979–1981.

Bibl.: NijKron. 737 = Martens M 106; IJsewijn, Charisterium 74–101 (Dialogus); id., Theatrum 96–109 (Prologi et Complementum); De Vocht, Busleyden 444–446.

c) Opuscula oratoria

Praeter orationes quattuor et Apologiam, quas infra tractabo et edam (cf. huius praefationis partem tertiam) tres saltem orationes memorantur a Gerardo Moringo, Dorpii discipulo et auctore vitae.[1]) sunt autem hae: *De vita Christo Domino instituenda paraclesis*, mense Octobri aut Novembri 1519 Hagae Comitum habita; eius etiam meminit ipse Dorpius in Apologia sua ab initio; *Oratio in Evangelium Matthaei; De sensu Scripturae allegorico*. hae orationes periisse videntur aut, si supersunt, manu scriptae ignoto latent loco.

d) Opuscula poetica

Dorpius pauca admodum carmina edidit eaque minoris momenti. omnia fere collegit H. De Vocht, Monumenta 394–408. addas senarios supra laudatos sub a).

e) Epistolae

Litterarum Dorpianarum corpusculum congessit idem De Vocht, Monumenta 353–391. addenda est epistola Ioannis Custodis Brechtani grammatici die quinta Novembris 1512 ad Dorpium data: vide De Vocht, History I, 204, n. 4.

3. Orationes Dorpianae

Martini Dorpii orationes IV superstites, quas nunc primum in unum corpus congregatas edidi, testimonium perhibent luculentum studiorum humanitatis haud sine labore renatorum apud Germanos Inferiores et

---

1) De Moringo vide De Vocht, Monumenta 461–584 et J. Bentley, Gerard Morinck's Orations on the New Testament (Humanistica Lovaniensia 29, 1980), 194–236.

imprimis in academia Lovaniensi. orationibus epistolas addidi, quae in antiquis editionibus una sunt divulgatae, item Apologiam orationis Paulinae ab Henrico De Vocht olim repertam et primum publici iuris factam.

Orationum nullus, Apologiae unus extat codex manu scriptus. typis autem impressae hae sunt orationum editiones antiquae[1]):

I) Orationes I et II

MARTINI DORPII NALDICENI | sacrae Theologiae Licenciati Concio de diue virgi-|nis deiparae in coelum Assumptione Dicta Lovanii | Anno Millesimo Quingentesimo Decimo.

In ima tituli pagina legitur:

PROSTANT VENALES IN EDIBUS | Theodrici Martini Alostensis Louanii e regione | scholae iuris ciuilis qui & impressit.

Liber est in 4° quattuordecim foliorum signatorum A – B⁴ C⁶. continet autem: f. [Aiʳ] libri titulum; f. [Aiᵛ] epistolam Ioanni Briardo; ff. Aiiʳ – Ciiᵛ contionem de assumptione; ff. Ciiiʳ – [Cviʳ] orationem in laudem Aristotelis.

f. [Cviʳ] in ima pagina extat colophon: *Louanii in aedibus Theoderici Martini Alostensis Anno Mil|lesimo Quingentesimo Decimo quarto duodecima Kalendas | Martias. Reg(nantibus) Maxi(miliano) Aug(usto) & Car(olo) Austrio. P. S. D.*[2])

Bibl.: NijKron. 736 = Martens M 100; De Vocht, Monumenta 317 – 318.

Exemplaria adservantur Hagae Comitum in bibliotheca Regia (quo usus sum exemplari, itaque siglo **H** in apparatu critico significabo), Hauniae in bibliotheca Universitatis, Londini in bibliotheca Britannica, Parisiis in bibliotheca Arsenalis.

II) Oratio III

ORATIO MARTINI DORPII | theologi de laudibus sigillatim cuiusque discipli-| narum ac amenissimi Louanii academiaeque loua-|niensis dicta Kalendis octobribus, anno M.ccccc.|xiii. in frequentissimo totius academiae conventu | quum post aestivas studiorum ferias docendi audien|dique officia publice renouanda indicerentur.

In ima pagina legitur:

PROSTANT VENALES LOUANII | in aedibus Theoderici Martini Alostensis | & in taberna libraria Henrici a diegheem[3]) prope | templum diui Petri | CUM GRATIA ET PRIUILEGIO.

Liber est in 4° triginta duorum foliorum, quae signata sunt A⁸ B⁴ C⁸ D – F⁴. continet autem f. [Aiʳ] libri titulum; f. [Aiᵛ] – Aiiᵛ epistolam Patri Menardo Viro (seu Mannio); ff. Aiiiʳ – [Fiiiʳ] orationem de laude artium, cui subscriptus est colophon hic: *Absoluta est haec oratio Martini Dorpii: in edi|bus Theoderici Martini Alostensis Louanii an|no millesimo quingentesimo decimotercio pridie | idus octobres*; ff. [Fiiiᵛ – Fivʳ] epigrammata quaedam Dorpiana, quae iterum edidit De Vocht, Monumenta 398 – 400.

---

1) In describendis titulis typographorum compendia expandi, orthographicam tamen proprietatem aliter atque in ipsa editione servavi.

2) Compendium solvendum esse videtur *pecunia sua dedit* potius quam *pro salute Domini.*

3) Nomen recte legitur Henricus a Dieghem (vulgo Hendrik van Diegem). de eo cf. De Vocht, Monumenta 319 et Aug. Vincent, L'imprimerie à Louvain jusque 1800, in: Le livre, l'estampe, l'édition en Brabant du XV° au XIX° siècle, Gemblaci 1935, 49 – 68 (vide 53).

Bibl.: NijKron. 738 = Martens M 94; De Vocht, Monumenta 318–323.

Exemplaria extant Alosti (vulgo Aalst) in Flandria in bibliotheca publica, Antverpiae in bibliotheca publica, Bruxellis in bibliotheca regia Albertina (duo), Hagae Comitum in bibliotheca regia, Cantabrigiae in Collegio Gonville & Caius, Hispali in bibliotheca Columbina[1]), Londini in bibliotheca Britannica et Parisiis in bibliotheca Arsenalis. Lovanii vero utrumque exemplar, quod post incendium anni 1914 bibliothecam Universitatis intravit, alterum munificentia bibliothecae Haganae, alterum ex hereditate Silvani van de Weyer (quod cum *Contione* et *Dialogo* in unum volumen erat compactum), misere periit altero incendio bellico, anno 1940.

Secundum exemplar Lovaniense satis erat peculiare. nam et initio epistolae Mannio datae tria verba Dorpius mutaverat, nempe pro *maturarem* ... *ederentur* ... *censuissent* posuit *maturem* ... *edantur* ... *censuere*. mancum quoque erat, quippe quod post f. Cviii^v abrumpebatur. in locum quaternionum D–F compactae erant quaterniones D–E alterius libri (Plutarchus, De tuenda bona valetudine etc.), quem Theodoricus Martini mense Novembri, id est paucis hebdomadis post Orationem Dorpianam excussit, eodem Dorpio curante.[2]) qua re nisus De Vocht adseveravit alteram Orationis editionem vel saltem impressionem mense Novembri esse factam. quod vix mihi persuadere possum, ratione etiam habita lectionum variarum. nam hae lectiones non huiusmodi sunt ut inseri non possent dum ultima editionis exemplaria imprimerentur. compingendi porro error in officina typographica factus esse videtur, aut emptori saltem foliorum nondum compactorum quaterniones casu quodam confusae datae sunt.

Usus sum conlatione a De Vocht olim facta; item contuli exemplaria Alostense et Hispalense.

Alteram orationis editionem intra annos 1760 et 1768 prelo academico Lovaniensi parabat Cornelius Franciscus de Nelis, non tamen edidit. sibi proposuerat *Analecta* operum Lovaniensium edere, quorum paucissima exemplaria quasi praeedita typis excussit. oratio legitur in primo tomo, pp. 1–66. horum foliorum exemplaria rarissima extant Lovanii in bibliotheca Universitatis, Bruxellis in bibliotheca regia Albertina et Oxonii in bibliotheca Bodleiana.[3]) ceterum ad textum constituendum nullius sunt momenti.

Anno denique 1935, cum primum saeculum ab Universitate Lovaniensi Lovanii restituta celebraretur, Henricus De Vocht orationem Dorpianam partim transtulit in linguam nederlandicam antiquam necnon in francogallicam. hae versiones editae sunt in libello quodam memoriali, qui inscribitur: ALMA MATER LOVANIENSIS AEVI PRAETERITI MEMOR in die triumphi IV. NON. IVN. MCM.XXXV. Toespraecke van Maerten van Dorp ... Samenspraecke, door Joannes Lodovicus Vives ..., Lovanii 1935.

III) Oratio IV

Paulina, quae dicitur, oratio ante meam hanc editionem quinquies quod sciam typis est divulgata.

a) Editio princeps prodiit Antverpiae anno 1519. titulus libri hic est: MARTINI DORPII SA|crę Theologię professoris Ora|tio in praelectionem epi|stolarum Divi |

1) Hic liber notam emptoris servat: *C — Este libro costo en nerumberga. 2. craicer por deziembre de 1521. y el ducado de oro vale. 86. craicer. Esta Registrado 705.* (*Libros y autógrafos de D. Cristóbal Colón*). cf. Biblioteca Colombina. Catálogo de sus libros impresos ... con notas bibliográficas del Dr. D. Simón de la Rosa y López, II, Hispali 1891, 313.

2) Cf. Martens M 96.

3) Cf. De Vocht, Monumenta 323.

Pauli | De laudibus Pauli, de literis sacris edis-|cendis, de eloquentia, de pernicie sophisti|ces, de sacrorum codicum ad graecos | castigatione: & linguarum peritia. || Epistola ERASMI ad Dorpium.

In ima pagina litterae M H leguntur in clipeolo, id est: Michael Hillenius, qui erat typographus. liber est in 4° foliorum XVIII, quae signata sunt a–c⁴ d⁶. continet autem f. [aiᵛ] Erasmi epistolam ad Dorpium[1]); f. aiiʳ⁻ᵛ Dorpii epistolam ad Beatum Rhenanum[2]); ff. aiiiʳ–[dvʳ] orationem cum scholiis marginalibus; f. [dvʳ] haec leguntur: *Correctio erratorum que impressorum incuria accide|runt a. iij. fac. i. li. xv. coram vodis lege coram vobis. b. i. fa.|i. li. x ut eis in cotidie lege ut in eis.*

Michael Hillenius Antverpiae imprimebat quinto Calen|das Octobres Anno a Christo nato Vndevigesi|mo supra Sesquimillesimum.

Bibl.: NijKron. 739.

Exemplaria extant Lovanii in bibliotheca Universitatis, Bruxellis in bibliotheca regia Albertina (duo), Hagae Comitum in bibliotheca regia et Leidae in bibliotheca Universitatis.

b) Editionem Antverpiensem Basileae bis iteravit Frobenius, mensibus Ianuario et Martio anni 1520. libri titulus eodem ornamento xylographico inclusus[3]) nihil mutatus est praeterquam quod verba aliter elegantiusque in facie sunt disposita. liber *mense Ianuario* excusus constat foliis XXVI in 4° signatis A–E⁴ F⁶ itemque pp. 1–[52]. eadem scripta continet atque exemplum Antverpiense, paucis correctis erroribus. media pagella 51 seu f. [F6ᵛ] legitur colophon: BASILEAE IN AEDIBUS IO. | FROBENII MENSE IANUA|RIO. ANNO M.D.XX.

Extant exemplaria Lovanii in bibliotheca Universitatis, Parisiis in bibliotheca Mazariniana (quod etiam vidi), Cantabrigiae in bibliotheca Collegii Sidney Sussex appellati et Washingtonii in bibliotheca a Congressu dicta.

Liber *mense Martio* excusus e renovata typorum compositione constat foliis XXVIII in 4° signatis A–G⁴ itemque pp. 1–[56]. foliis G2ʳ–[G4ʳ] seu pp. 51–55 scriptis iam bis editis addita est epistola Martini Dorpii ad Erasmum data ex Haga Comitum die 28ª mensis Novembris 1519.[4]) epistolam sequitur colophon in media pagella 55: BASILEAE IN AEDIBUS IO. | FROBENII MENSE MAR|TIO AN. M.D.XX.

Extant exemplaria Cantabrigiae in bibliotheca Universitatis, Parisiis in bibliotheca Universitatis, Ottiniaci (vulgo Ottignies) in bibliotheca Universitatis Novolovaniensis, Friburgi Brisgoviae in bibliotheca Universitatis (vidi, deest tituli folium et censor sententias quasdam atramento delevit), Augustae Treverorum in bibliotheca publica (duo exx., cuius alterum litteris D 8° Na 28 insignitum censor mutilavit abscisso in fine uno folio cum dimidio), Gissae in bibliotheca Universitatis,

---

1) Scripta est Bruxellis die 10ª Iulii 1516 et edita apud Allen II 438. cf. De Vocht, Monumenta 371 n° 27.

2) Data est Lovanii die 22ª Septembris 1519. iterum edd. A. Horawitz et K. Hartfelder, Briefwechsel des Beatus Rhenanus, Lipsiae 1886 (anastatice Novocopiae Batavorum 1966), 175–176.

3) In angulis superioribus, qui in editione Hilleniana vacant, additum est nomen *HANS* | *HOLB(EIN)*; in ima autem pagina demptae sunt litterae *M H* earumque in locum bini sunt serpentes circa scipionem cum avicula in vertice intertexti.

4) Epistolam etiam edidit P. S. Allen, Opus Epistolarum D. Erasmi IV n° 1044. cf. De Vocht, Monumenta 374–375 n° 35. huius epistolae extat exemplar manu ignoti cuiusdam scribae descriptum et ab altero quodam correctum in bibliotheca publica Basileensi, nota G. II. 13ª. 40(a) insignitum. id secutus est Allen, ego autem lectiones libri Frobeniani, nisi ubi typotheta manifesto erraverit. in apparatu una cum Allen epistolam manu scriptam α littera graeca indicavi, correctorem vero α^1.

Pragae in bibliotheca Universitatis (vidi; olim erat Collegii S. J. Crumloviensis), Turici in bibliotheca publica (duo exx.) et Chicagine in bibliotheca Newberriana.

In apparatu critico his siglis editiones veteres distinxi: **A** = Antverpiensis; **Bi** = Basileensis prior (ianuar.); **Bm** = Basileensis altera (mart).

c) Orationem denique bis etiam edidit Hermannus von der Hardt, professor Academiae Juliae Helmstadiensis, in libro qui inscribitur: *STUDIOSUS GRAECUS, nempe 1. Introductio in Veterum Graecorum Scriptorum lectionem. 2. Martini Dorpii, celebris gemino abhinc seculo Lovaniensis Academiae Theologi, praeclara Oratio, De Linguarum studio, novissimis seculis resuscitato. 3. Nova & brevis Linguae Graecae methodus.* liber primum prodiit Helmstadii anno 1699, iterum anno 1705. prioris editionis exemplar invenies Cantabrigiae in bibliotheca Universitatis, alterius autem Guelpherbyti in bibliotheca Augustana. oratio legitur pp. 63–128, praemissis epistolis Erasmi ad Dorpium et Dorpii ad Rhenanum. auctores a Dorpio laudati non in margine significantur, ut in editionibus antiquioribus, sed in ipso verborum contextu intra uncos. ad textum editionis criticae parandum nullius est momenti.

IV) Apologia

Tradita est in codice manu scripto a Gerardo Moringo iam laudato, qui erat theologus Lovaniensis, dein monachus Trudonensis. mortuus est Trudopoli (vulgo Sint-Truiden) anno 1556. codex olim Bruxellis adservabatur in archivio publico (Algemeen Rijksarchief) inter chartularia et manu scripta (Handschriftenverzameling) n° 391 B. post alterum bellum universale codex translatus est Hassaletum (vulgo Hasselt) in archivium publicum et numero MS 6681 b primum, nunc 35 insignitus. reportatus est igitur in regionem Limburgensem, unde olim provenerat (Trudopolis haud ita longe distat ab Hassaleto meridiem petenti). Bruxellis autem exemplar photographicum manet, n° 5234.

Eo ex codice H. De Vocht editionem diplomaticam curavit, praemissa codicis descriptione accuratissima[1]), quam hic repetere supersedeo. ipse criticam editionem paravi collatis codice et editione diplomatica.

4. De ratione huius editionis

Ex traditionis historia videre erat non magnas ei, qui orationes Dorpianas suscepit edendas, oriri difficultates in textu constituendo. editio mea uno vel duobus exemplaribus editionis antiquae nititur.[2]) etsi probe scio in singulis exemplaribus minuta quaedam differre posse[3]), tamen quia orationes cum cura excusae sunt, Paulina etiam in locis longe ab auctore distantibus, studii pretium non esse putavi multam operam pecuniamque perdere evolvendis excutiendisque aliis etiam exemplaribus ut unam alteramve mendam in prisca typographia olim correctam deprehenderem.

1) De Vocht, Monumenta 72–75 (descr.), 76–93.
2) Vide tamen quae dixi de editione Or. III p. XII.
3) Exemplo sit NijKron. 739, qui mentionem faciunt erroris *ROERODAMUS* pro *ROTERODAMUS* in titulo exemplaris Hagani orationis Paulinae.

vita res est pretiosior quam quae huiusmodi quisquiliis perdatur, vel cum Dorpio ut loquar: 'non vacat supervacua sectari in tanta vitae brevitate'.[1])

In textu constituendo hoc semper spectavi ut verba Dorpii sincera darem quod sensum attinet, figurae typographicae antiquae non nimis curiosus. abbreviationes itaque et litterarum suspensiones (puta *m* litteram) tacite semper solvi, *et* scribens pro *&*, *Magister* pro *M*, *nominis* pro *nois*, etc. in re orthographica ubique confusionem *ae*/*ę*/*e*, item *ci*/*ti*; *y*/*i* (*syncerus*, *hyems*, *clypeus* etc.), *qu*/*c* (*quum*)[2]), *t*/*tt* (*litterae* . . .) sustuli. in genere antiquum vocum scribendarum usum secutus sum. nam de Dorpiana consuetudine orthographica id tantum constat, eum ea in re neglegentiorem fuisse. quod satis demonstrant quinque illae litterae manu sua exaratae, quae servantur inter epistolas Craneveldianas in bibliotheca Universitatis Lovaniensis.[3]) scripsit, ut pauca afferam exempla: *amicicie* (24, 1 et 48; 85, 95; 111, 11) et *iusticie* (123, 19), at contra *sententie* (85, 25), *quoties* (85, 47) et *avaritia* (85, 176); scripsit *mentionem* (111, 39) et *eruditionis* (123, 60), sed *concionandi* (85, 171 et 197). his ex exemplis facile est videre Dorpium non aliter atque aequales suos de una eademque semper scribendi ratione parum curasse.

Accedit quod Dorpii orationes non codicibus sua manu scriptis traditae sunt, verum typis excusae a diversis chalcographis, Theodorico Martini Alostensi in officina Lovaniensi, Michaele Hillenio Antverpiae, Joanne Frobenio Basileae. res autem perquam nota est singulis officinis singulos fuisse usus orthographicos ideoque libros typis impressos parum valere ad auctoris proprietatem cognoscendam. quod manifesto demonstrant diversitates orthographicae inter editionem Antverpiensem orationis Paulinae et Basileenses. apologia denique, quae manu scripta servata est, scribae refert consuetudinem, nec certo sciri potest quid Dorpio, quid autem scribae tribuendum sit. Theodoricus Martini in orationibus a se excusis *foeliciter* maluit, Frobenius vero, Hillenius et scriba *feliciter*. at quid Dorpius? fortasse utroque usus est.

Praestat igitur nos normam antiquam observare. quam si novissent litterati saecc. XV–XVI, certo certius adoptavissent, quippe qui antiquorum exempla ceteris in rebus tam religiose suspicerent. ubicumque vero non de sola ratione orthographica agitur aut agi saltem videtur,

---

1) Or. IV 3, 5.

2) Theodoricus Martini plerumque, at non semper posuit *quum*. vide autem mirum inconstantiae exemplum in fine dedicationis orationis III ad Menardum Virum: *ergo quum doctus ipse . . ., quum religionis primas . . ., cum coenobii abbas (sis) . . .* sic et aliis in locis.

3) Editae sunt ab H. De Vocht, Literae ad Craneveldium 61 (n° 24), 184 (n° 74), 212 (n° 85), 297 (n° 111), 336 (n° 123).

formas editionis antiquae servavi aut in apparatu diligenter significavi. hi autem casus sunt:

1. ubi linguae usus aetatis Dorpianae tralucere videtur: exempla sunt casus genetivus *Thersitis* (II 2, 2) pro *Thersitae*; pronomina *hii, heae* etc. ex confusione *hi/ii, hae/eae* per mediam aetatem nata; perfectum *sperserunt* (IV ep. 2, 2) et coniunctivus *pelliceat* (II 2, 2) pro *pelliciat*, quam formam e Prisciano 10, 3 hausisse videtur Dorpius; *scribiligine* pro *stribiligine* (III 2, 2, 1), quod natum videtur ex etymi (*scribere* . . .) errore.

2. ubi orthographica figura pronuntiationem peculiarem declarat, e. g. *intelligere, impartiri* (IV 22, 8 et 12), *ideota* (III 2, 25, 2), etc.

3. nomina propria et voces graecae, si in editione antiqua insolenter sunt scripta itaque ignorantiam seu auctoris seu typographi exponunt, in apparatu significantur. duae tamen formae ubi in graecis probantur, varietatem servavi: exemplo est illud *Lycium* (II 6, 2) / *Lyceum* (II 7, 6).

Sententias denique secundum sensum interpunctione distinxi. qua in re nostrae aetatis usum secutus sum, diligenter tamen ad genuinum orationum sensum eruendum perscrutatus sum quid adferre potuerit priscae editionis figura typographica.

5. De apparatu fontium

Praeter criticum apparatum orationibus alterum addidi, fontium nempe, quibus noster usus est. quos interdum et adnotationibus copiosioribus in calcem libri reiectis illustrare haud abs re esse duxi.

Dorpius satis multis usus est auctoribus tum antiquis tum recentioribus. quos ad unum omnes me invenisse haudquaquam glorior. at editio ne in aeternum differretur, potius habui eam emittere etiamsi nondum omnes Dorpii fontes nominatim certisque locis significare potui. videant doctiores! accedit quod Dorpius in laudandis auctoribus non semel memoria lapsus est, aut ab alio quodam auctore in errorem inductus, aut etiam in typographia corruptus, dum exemplaris eius manu scripti compendia aut numeri plenis vocibus redderentur ab inepto quodam typotheta.

Constat etiam Dorpium non omnes auctores ipsum evolvisse, sed interposito aliquo opere recentioris aetatis adtulisse. id in genere dicendum est de scriptoribus graecis, quorum linguam ignoravit, notitiam autem habuit per versionem aliquam latinam aetatis mediae (puta Aristotelem) aut etiam recentissimae (puta Diogenem Laertium), saepissime etiam per Erasmi Adagia aut opus aliquod scholasticum.

Quae omnia ad amussim investigare operis erit longissimi ac laboriosissimi, multaque non nisi felici quodam casu reperiri posse persuasum habeo. legendi enim et excutiendi erunt libri saecc. XV et XVI ineuntis permulti. qui etsi typis expressi sunt, interdum codicibus manu scriptis sunt rariores et inventu difficiliores, lectu quoque asperi atque indicibus utilibus parum instructi.

Restat gratiarum agendarum praedulce munus. perhumaniter operam meam iuvarunt multarum bibliothecarum praefecti: Lovanii, Bruxellis, Hagae Comitum, Alosti, Augustae Treverorum, Friburgi Brisgoviae, Guelpherbyti, Hispali, Pragae, Londini in bibliotheca Britannica, Cantabrigiae in Collegio Pembrokiano, Parisiis in Arsenali et Mazariniana. gratias item ago Thesauro Augustiniano Endoviano alterique Wirceburgensi; Marcello denique Haverals, viro docto Lovaniensi, qui in locis biblicis inveniendis gratum obtulit auxilium, uxori quoque maximas gratias, quae semper adest laboranti.

Dorpianum hoc opus monumentum sit in perpetuam memoriam Henrici De Vocht, incluti nostri decessoris et magistri, qui magis omnibus unus studia Dorpiana promovit et locupletavit; sit simul monumentum in honorem Almae Matris nostrae Lovaniensis, cuius bibliotheca ter misere diruta quartum iam curante Ioanne Roegiers praefecto restituitur ac laete praeter alia *κειμήλια* pretiosissimos Henrici De Vocht libros et codices ex legato accepit, Dorpii etiam exemplaria duo antiqua emit suumque in sinum amanter condidit. quibus utinam Mars in perpetuum abstineat!

Scripsi Lovanii in Agro Parcensi, anno MDCCCCLXXXIV I. IJ.

Plagulis Additum

Expositio dum paratur ad historiam abbatiae Trudopolitanae illustrandam, v. d. Gilbertus Tournoy forte fortuito in codice bibliothecae Universitatis Leodiensis 298, ff. 160^r–168^v, Apologiae Dorpianae exemplar alterum ex Hassaletano manifesto descriptum invenit. Codex Leodiensis varia servat collectanea in abbatia circa annum 1555 (cf. f. 129^v, f. 131^v etc.) descripta. Ad textum Apologiae constituendum nihil adfert novi siquidem Moringi correctiones (m) omnes fidelissime refert.

CONSPECTVS LIBRORVM

Hoc in conspectu praecipui adferuntur tractatus et libri, qui de Martino Dorpio eiusque operibus et tempore agunt. cetera scripta docta, quibus usus sum, suo loco dilucide satis laudantur, item auctores antiqui in fontium apparatu et adnotationibus allati.

Allen, P. S. – Allen, H. M., Opus epistolarum Desiderii Erasmi, 12 voll., Oxonii 1913–1965

Aubert, R., Dorpius Martin, Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastique XIV, 1960, 692–695

Bentley, J. H., Humanists and Holy Writ, Princeton 1983

Bietenholz, P. (ed.), Contemporaries of Erasmus. A Biographical Register of the Renaissance and Reformation, Vol. I: A–E, Toronti 1985

Camporeale, S. I., Da Lorenzo Valla a Tommaso Moro. Lo statuto umanistico della teologia, Memorie Domenicane N. S. 4, 1973, 9–102. vide imprimis 26–64: Lettera a Dorp. – cf. et eiusdem: Poggio Bracciolini contro Lorenzo Valla. Le «Orationes in L. Vallam», in: Poggio Bracciolini 1380–1980. Nel VI centenario della nascita, Florentiae 1982, 137–161 (imprimis 160–161)

Catalogus Herdenkingstentoonstelling Paus Adrianus VI, Ultraiecti et Lovanii 1959

Catalogus Tentoonstelling Erasmus en Leuven, Lovanii 1969

Catalogus Tentoonstelling Dirk Martens 1473–1973, Alosti 1973

Catalogus 550 Jaar Universiteit Leuven 1425–1975, Lovanii 1976

Charisterium H. De Vocht 1878–1978. Uitgegeven door J. IJsewijn en J. Roegiers (Supplementa Humanistica Lovaniensia II), Lovanii 1979

Cooper, M. S., More and the Letter to Martin Dorp, Moreana 6, 1965, 37–44

De Jongh, H., L'ancienne Faculté de Théologie de Louvain au premier siècle de son existence, 1432–1540, Lovanii 1911

De Vocht, H., Literae virorum eruditorum ad Franciscum Craneveldium 1522–1528. A Collection of Original Letters Edited from the Manuscripts and Illustrated with Notes and Commentaries (Humanistica Lovaniensia 1), Lovanii 1928

–, Monumenta Humanistica Lovaniensia. Texts and Studies about Louvain Humanists in the First Half of the XVIth Century: Erasmus – Vives – Dorpius – Clenardus – Goes – Moringus (Humanistica Lovaniensia 4), Lovanii 1934

–, Jerôme de Busleyden, Founder of the Louvain Collegium Trilingue. His Life and Writings Edited for the First Time in their Entirety from the Original Manuscript (Humanistica Lovaniensia 9), Turnholti 1950

–, History of the Foundation and the Rise of the Collegium Trilingue Lovaniense 1517–1550 (Humanistica Lovaniensia 10–13), 4 voll., Lovanii 1951–1955

HCT: vide De Vocht, H., History of the . . . Collegium Trilingue

IJsewijn, J., Martinus Dorpius, Dialogus (ca. 1508?), Charisterium H. De Vocht (cf. supra), 74–101

–, Theatrum Belgo-latinum. Het Neolatijns toneel in de Nederlanden, Academiae Analecta: Mededelingen Koninklijke Academie voor Wetenschappen, Letteren en Schone Kunsten van België, Klasse der Letteren 43, 1981, 1, 69–114

IJsewijn, J., Martinus Dorpius und ein angebliches Augustinzitat, Wolfenbütteler Renaissance-Mitteilungen 5, 1981, 139–142
–, Orator et theologus. De litteris Latinis apud Germanos Inferiores renatis, Martini Dorpii exemplo illustratis, in: N. Sallmann – Rhoda Schnur (edd.), Acta Omnium Gentium ac Nationum Conventus quinti Latinis litteris linguaeque fovendis ... anno MCMLXXXI Augustae Treverorum habiti, Leichlingae 1984, 177–186
–, Dorp, Maarten van, in: P. Bietenholz (ed.), Contemporaries of Erasmus. Biographical Register I, Toronti 1985, 398–404
Kinney, D., More's Letter to Dorp: Remapping the Trivium, Renaissance Quarterly 34, 1981, 179–210
Marc'Hadour, G., Thomas More convertit Martin Dorp à l'humanisme érasmien, in: Thomas More 1477–1977. Actes de l'Institut pour l'Etude de la Renaissance VI, Bruxellis 1980, 13–25
Martens: cf. Catalogus Dirk Martens
Mesnard, P., Humanisme et théologie dans la controverse entre Erasme et Dorpius, Filosofia 14, 1963, 885–900
Molhuysen, P., Dorp, Martinus van, Nieuw Nederlandsch Biographisch Woordenboek IV, 1918, 519
Nauwelaerts, M., Dorpius Martinus, NBW I, 1964, 419–422
NBW: Nationaal Biographisch Woordenboek, 10 voll., Bruxellis 1964–1983
Nève, F., Mémoire historique et littéraire sur le Collège des Trois-Langues à Louvain, Bruxellis 1856, 112–121 et 398–401
–, Dorpius Martinus, Biographie Nationale de Belgique VI, 1878, 138–141
NijKron.: Nijhoff, M. en Kronenberg, Maria E., Nederlandsche bibliographie van 1500–1540, 8 voll., Hagae Comitum 1923–1971
Thoen, P., Aesopus Dorpii. Essai sur l'Esope latin des temps modernes, Humanistica Lovaniensia 19, 1970, 241–316
–, Les grands recueils ésopiques latins des XVe et XVIe siècles et leur importance pour les littératures des temps modernes, in: J. IJsewijn et E. Kessler (edd.), Acta Conventus Neolatini Lovaniensis, Monachii et Lovanii 1973, 659–679
Van der Eycken, M., Het archief van de Benediktijnerabdij van Sint-Truiden. Deel I: Inventaris, Bruxellis 1985, 22–23 sub n° 35
Van Eijl, E. J. M. (ed.), Facultas S. Theologiae Lovaniensis 1432–1797. Bijdragen tot haar Geschiedenis (Bibliotheca Ephemeridum Theologicarum Lovaniensium XLV), Lovanii 1977

SIGLA

ORATIONES I-II

editio Lovaniensis anni 1514 in exemplari Hagano lecta

ORATIO III

V vulgata lectio veterum exemplarium a. 1513
B lectio peculiaris exemplaris prioris Bruxellensis (A 1909)
L lectio peculiaris exemplarium Lovaniensium nunc deperditorum a H. De Vocht, Monumenta 320–321 servata
  L[1] exemplar notatum Res. 5A4233
  L[2] exemplar notatum Res. G.A3556
ma nota in margine veterum exemplarium

ORATIO IV

A editio Antverpiensis a. 1519
B utraque editio Basileensis a. 1520
  Bi editio Basileensis ianuaria
  Bm editio Basileensis martia
ma nota in margine editionum Antverpiensis et Basileensium

EPISTOLA ERASMO DATA

Bm editio Basileensis martia
α exemplar manu scriptum Basileense G. II. 13ª. 40(a)
α^1 corrector exemplaris Basileensis

APOLOGIA

H codex Hassaletanus, Arch. Publ. 35 (antea 6681 b), olim Bruxellensis, Arch. Publ. 391 B, manu Gerardi Moringi exaratus
m manus Moringi se ipsum emendantis
l vide plagulis additum, p. XVII

I

CONTIO DE DIVAE VIRGINIS DEIPARAE IN CAELVM ASSVMPTIONE

DICTA LOVANII ANNO MILLESIMO QVINGENTESIMO DECIMO

1

Eruditissimo Artium et Sacrae Theologiae professori, Magistro Nostro Ioanni Briardo Athensi, insignis Lovaniensium Academiae vicecancellario, praeceptori suo Martinus Dorpius S. D. P.

Pulchre mihi visum est convenire, clarissime vicecancellarie, ut sermonem meum de divae Virginis assumptione tui faustissimi nominis auspiciis in publicum edam, quo qui auctor fuisti eius componendi ac in celebri doctissimorum conventu pronuntiandi, idem sis auctor ut a multis legatur, si quis tamen haec captus non dico amore, sed pietate leget. cui enim alteri theologici studii mei primitiae debeantur quam uni tibi? qui oscitabundum alioqui me et cum poetarum deliciis, tum philosophantium argutiis immersum nunquam destitisti quodam vocis tuae quasi classico ad sacrae Theologiae palaestram excitare, donec ab illis avulsum, in hanc totum perpuleris et quasi bonus agricola transplantaris, ne scilicet in alieno solo altius actis radicibus veterascens transponi recusarem. deinde peculiarem discipulum agnoscens tam incredibili prosecutus es benevolentia ut eam nemo, quanta sit, complecti possit animo. tu siquidem mihi semper consiliorum oraculum fuisti, tu auxilii asylum, tu studiorum, tu licentiae gradus auctor, impulsor et dator. cuius rei gratia haud scio an plus ipsi debeam patri, qui me genuit, quam tibi. ille quidem mihi corporis vivendique est parens, tu animae ac recte vivendi. ille absens corpus aluit, tu praesens animum. proinde male peream, si non omnibus cupiam innotescere quantum tibi debeam. quod interim dum maioris referendae gratiae non est facultas, huius sermonis editione testari volui; in quo nullus inest verborum fucus, nulla lenocinia, latinus dumtaxat contextus ac lenis orationis fluxus, ita ut quovis videri queam magis spectasse quam ad ingenii eloquentiaeve ostentationem. proinde si quis ornatum politioremque dictionem desiderabit, iusta erit (opinor) excusatio, quod nunquam usque adeo fuerim eleganter dicendi studio addictus,

ut illi alias quam succisivis horis vacaverim. si cui eloquentia satisfactum sit, et idem sententias requirat theologicas, quis non facilis det veniam, si non omnia tulerim puncta, homo praesertim philosophus et Musarum item candidatus, et qui hac in harena nunquam sim antea versatus? si cui porro neutrum placebit, is noverit me tibi tuique similibus haec 5 scripsisse, non illi. tu siquidem unus amplum es studiorum meorum theatrum.

6 Vale. Lovanii, ex Lilio, tertio Idus Februarias.

2

AII^r Meditanti mihi hanc qualencunque contionem, Viri Patres, tam multa undique obrepsere difficilia ut animum ab arrepto semel proposito paene 10 deflexerint. et deflexissent utique, si non Magistrorum Nostrorum iussa meo ipsius velle pluris essent; qui me *in magnis* cogunt *ambulare et in* 2 *mirabilibus super me*. etenim si res dicenda requiratur, ea videlicet est in qua torrens eloquentiae copia suam inopiam agnoscit. sin aliquis vestram ornatissimam spectet coronam, nonne mihi iure facilis ignoscat, si lingua 15 3 metu haeserit? soleo equidem Ciceronis exemplo orationis initio pavescere quavis de re dicturus. at nunc tanto commoveor magis, quantum interest 4 vel sacra vel profana disserere. interest autem quam plurimum, siquidem Moyses, donec omni Aegyptiorum sapientia erudiretur, nec erat tardus lingua nec se profitebatur ineloquentem: *erat enim*, inquit Origenes, *et* 20 *sonorae vocis et quantum ad Aegyptios eloquentiae incomparabilis*. verum idem simul atque Dei vocem audire coepit, mox vocem suam sensit exilem, mox tardam impeditamque suam intellegit linguam, mox sese mutum proclamat. postea vero quam semetipsum agnovit, remunerat eum Dominus Deus opimis muneribus: *ego*, inquiens, *aperiam os tuum* 25 5 *et instruam te, quae oporteat te loqui*. proinde ego quoque tanti prophetae exemplo fateor me sacrae huic provinciae nimis quam imparem, dicoque cum Esaia: *vir pollutus labiis sum*, et cum Hieremia: *a, a, a, Domine* 6 *Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*. ante igitur quam pergamus, supplices una precemur divam Virginem, huius laudatiunculae argu- 30 mentum, ut Dominus, qui *verba vitae* solus *habet*, dignetur *manu sua tangere os meum*, *detur*que *mihi* cum Paulo *sermo in adapertionem oris mei*. quod ut fiat, dicamus prona mente *ave, gratia plena* . . .

2, 1 Vestris precibus, ut spero, efficacibus adiutus, primum pauculis transsiliam, quî conveniat ut hodie legat Ecclesia evangelium de Salva- 35 toris in castellum ingressu, cum nullum eius verbum videatur huic

1 *§ 5 cf. Hor. ars p. 343* omne tulit punctum, qui . . .; *Quint. VI praef. 13* eloquentiae candidatum; *Cic. Br. 6* theatrum illius ingenii ‖ **2** *§ 1 Ps. 130, 1* ‖ *§ 3 cf. Cic. Mil. 1, 1* ‖ *§ 4 Exod. 4, 10–13; Origenes Hom. III in Exodum (Migne, PG 12, 310 A)* ‖ *§ 5 Is. 6, 5; Ier. 1, 6* ‖ *§ 6 Ioh. 6, 68; cf. Ier. 1, 9; Paul. Eph. 6, 19*

quadrare diei, cumque omnia festo virgineae annuntiationis adamussim
aptari possint, quando, qui Hebraice norunt, asserant non idem fuisse
nomen Virgini Dei matri et ceterarum, quae celebrantur, Mariarum. illi
namque nomen aiunt | fuisse Mariám, ultima acuta syllaba, quodque AII^v
5 non flectatur; his vero fuisse nomen Maria et flexile et ultima non acuta
syllaba. hiis strictim responsurus de nomine quidem nec tantillum **2**
laboro. castellum siquidem cum Maria neque syllabis convenit neque
litteris, et hoc tamen loco Mariam Dei matrem insinuat, cur non et hoc
nomen Maria eandem exprimat? esto, fuerit nonnihil discriminis (atque
10 profecto quam parum!) inter Deiparae Virginis nomen et ceterarum
Mariarum! novimus familiare esse sacrae Scripturae non nominibus
solum, sed et rebus significare. iam vero hodiernum evangelium ea **3**
particula potissimum hunc diem respicit, qua dicitur Maria 'optimam
elegisse partem'. quam nunquam auferendam incomparabilis illa Maria
15 hodie felicissime est adepta.

Atqui alius etiam scrupulus restat. nam graece non legitur 'optimam', **4**
sed 'bonam' dumtaxat, scilicet 'Maria bonam partem elegit'. quamobrem
non videtur ad Dei matrem referendum, utpote quae non bonam modo,
sed dubio procul optimam tum elegit, tum consequuta est. et quoties de **5**
20 sinceritate lectionis ambigitur in latinis voluminibus, consulenda sunt
graeca, ut est sententia divi Augustini, distinctionis nonae capite 'Ut
veterum', et divi item Hieronymi in prologo Bibliae, si quis eius sen-
tentiam accuratius eruat quam glosa distinctionis capitis. sed neque hoc **6**
in luto haerebimus. quin dicimus Mariae partem bonam utique dici per
25 praecellentiam, hoc est, singulariter et prae ceteris bonam, atque ita,
ubi graece 'bonam' legerat interpres, recte vertit 'optimam', sensum
nimirum sensui, *non verbum verbo reddere curans*.

His quaestiunculis compendio non taedioso dilutis reliquum est ut **3, 1**
evangelium quanta possim perspicuitate nobis nostraeque institutioni
30 accommodem, et quo pacto de Virgine Dei matre recte intelligatur eluci-
dem.

Legitur itaque principio Iesus intrasse in quoddam castellum. rarum **2**
profecto munus castelli, in quod Christus ingressus est! atqui multo
expetibilius, cum idem in humanae mentis castellum illabitur; id quod
35 desiderans faciet non peregrinus iam et temporarius, sed assiduus ac
perpetuus hospes et paterfamilias futurus, modo mentis ostio non ob-
damus pessulum, neque sponsum ianuam ingredi paratum foris arceamus.
quod quidem facimus,| quoties terrenis immersi voluptatibus aditum [AIII^r]

§ 5 Augustinus, Hieronymus, Glosa: vide Adnotationes, p. 105 sq. || *§ 6 cf. Hor. ars p. 133* nec verbo verbum curabis reddere fidus interpres

21–23 Augustini. d. co. c. . . . glosa. d. c. **H**; *de harum abbreviationum solutione vide adnotationem ad locum (p. 106)*

3 cordis contra sponsum obseramus. at si mens nostra *pessulum ostii aperiat dilecto suo*, hoc est, si amotis pessumque datis carnis illecebris, in Dei amorem anhelet, illum quanta est unum expetat, illum cogitet, illum somniet, illum sanctis cogitationibus uti nuntiis invitet, cuius sunt *deliciae esse cum filiis hominum*, tunc demum sponsus in sibi paratum 5
4 castellum divertet. ipse enim *in sancto habitat laus Israhel*; ipse *per fidem habitat in cordibus nostris*; ipse *si quis aperuerit, introibit cenabitque cum eo*. sed meminisse debemus neutiquam temere legi Dominum introivisse in castellum. nam et mens nostra castellum fiat oportet, si Christum in eam diversari volumus, ut sit virtutum coetu veluti muro munita, ut 10 sint in ea turres diligentis custodiae dicatque cum propheta sese *super custodiam suam stare*, ut fiat *sicut turris David, aedificata cum* bonorum *propugnaculis* operum, ut *in ea milleni* virtutum *clipei pendeant, omnis armatura fortium* contra venenati serpentis iacula, ne tyrannidi hostis antiqui obnoxia fiat, qui vineas exterminet, messes metat, extirpet 15
5 arbores. quod si curaverimus, illico delicians ille sponsus in mentem nostram *scopis* poenitentiae *mundatam* descendet tanquam *in hortum suum ad areolas aromatum, ut pascatur in hortis, ut lilia colligat, ut comedat fructum pomorum*. quod tum demum fieri scribit divus Gregorius, cum
6 Christus bonorum operum delectatione se exsatiat. nihil est itaque quod 20 nostram dolentes sortem beatos fuisse clamemus, qui Christum intra parietes manu factos exceperunt cumque eo sanctos miscuere sermones. fuerint illi quidem beati; at nos impendio beatiores erimus, si operam dederimus efficacem ut spiritalem domum nostram invisere suaque
7 praesentia ornare dignetur. proinde non erimus otiosi neque utramque in 25 aurem stertemus, si tantum hospitem non in *dealbatis* mortuorum *sepulchris* suscipere satagamus, si detinere studeamus, si sancta quadam vi manere cogamus, quoniam *advesperascat et inclinata sit iam dies*. Abrahae siquidem *apparuit* Dominus *in ipso diei fervore* et, cum alii feriabantur somnoque inertes indulgebant, Abraham hospites operiebatur et sanctae 30
[Aiii^v] 8 ope|rationis odore Deum illexit. porro hac tempestate, cum Christum in carne non licet videre, possumus tamen non multo aliter quam Martha in hospitium excipere. ait enim: *hospes eram et collegistis me. quod fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis*. et hic est alter modus Deum excipiendi, ipsi quidem longe gratissimus, cum miseros fratres nostros 35

§ 3 Cant. 5, 6 pessulum ostii mei aperui dilecto meo*; Prov. 8, 31* et deliciae meae esse cum filiis hominum || *§ 4 Ps. 21, 4; Paul. Eph. 3, 17; Ioh. Apoc. 3, 20; Hab. 2, 1; Cant. 4, 4* || *§ 5 Matth. 12, 44 = Luc. 11, 25* scopis mundatam*; Cant. 6, 1* in hortum suum . . . colligat*; 5, 1* et comedat fructum pomorum suorum*; Gregorius Magnus Exposit. in Canticum Cant. 18* omnis, qui iam elemosinas facit, qui iam bonis operibus studet, quasi Christum in convivium recipit (*ed. P. Verbraken, Corpus Christianorum, series lat., CXLIV, Turnholti 1963, 20*) || *§ 7 Matth. 23, 27* dealbatis sepulchris*; Luc. 24, 29* advesperascit . . .*; Gen. 18, 1–8* Abraham || *§ 8 Matth. 25, 35 et 40*

eius nomine dignamur hospitio. cur enim non fratres dicamus nostros, quos Christus suos vocat fratres? danda est strenua opera ut hoc pacto Christum invitemus introducamusque hospitem. tanta est enim huius operis gratia ut ne *potus* quidem *aquulae frigidae* praemio sit cariturus. nam Abraham Deum recepit, cum hospites quaerit, et magnifico munere donatur, numerosa nimirum posteritate, utque in eo benedicantur vel omnes gentes. Loth itidem in domum angelos introduxit, et propter hospitalitatis meritum Sodomitaria cum suis incendia evitavit. unde scias, inquit divus Ambrosius, an et cum tu hospitibus studes, Christus forte occurrat, tametsi in hospite quidem est Christus. Christus enim in paupere est. vidua praeterea, quae Heliam tractavit, nonne unius horulae hospitio mercedem accepit incomparabilem, ut toto famis tempore perpetuum ei alimentum suppeteret, farina videlicet de hydria nunquam deficiente? Helisaeus denique magnae mulieri hospitae suae affatim gratiam ministerii rettulit, vel cum filius ei ut nascatur suis precibus impetrat, vel cum eundem iam fato functum in vitae officia restituit. ecce quot egregias dotes, quot singulares recompensationes nanciscuntur pii homines, qui Christum in egestosis fratribus intromittunt.

Intravit itaque Iesus *in quoddam castellum, et mulier quaedam nomine Martha excepit illum in domum suam. et huic erat soror nomine Maria.* o sanctas oppido sorores, quas non sanguinis modo, sed pietatis quoque necessitudo vinciebat, et quidem arctior haec quam illa, Christi nimirum amore quasi glutine connexa. sed quid est causae ut, cum duae sint sorores, una tamen Martha Dominum legatur suscepisse? nempe quia iuxta sanctorum sententiam duabus his sororibus duae item vitae nobis insinuantur. Maria contemplationis typum gerit, | Martha activae vitae [A1v°] exemplar est. prius ergo necesse est ut quisque agat virtutibusque operam navet quam Christus sese offerat. Aaron antea montem ascendit quam ad Moysem, hoc est ad legem Dei intelligendam perveniat. scriptum est: *fili, concupiscens sapientiam conserva iustitiam, et Deus praebebit eam tibi.* et David: *super senes*, inquit, *intellexi, quia mandata tua custodivi.* porro Martham et Mariam sorores esse quidnam significat nisi exercitationem corporalem et spiritalem meditationem individuas esse debere, et in eodem homine uti in contubernio socias, atque illam ad modicum

§ 9 Matth. 10, 42 et Marc. 9, 40 potus aquae frigidae merces*; Gen. 18, 10; 22, 18 et 26, 4* et benedicentur in semine tuo omnes gentes || *§ 10 Gen. 19, 1–29; Ambrosius De Abraham I 5, 35* deinde qui scis an Deum suscipias, cum hospitem putas (*ed. C. Schenkl, Corpus Script. Eccles. Lat. XXXII, 1897, 529*) || *§ 11 3 Reg. 17, 7–24* || *§ 12 4 Reg. 4, 8–37* || **4** *§ 1 Luc. 10, 38–39* || *§ 2 de sanctorum Augustini et Gregorii Magni sententia vide Dom Cuthbert Butler, Western Mysticism. The Teaching of Ss. Augustine, Gregory and Bernard on Contemplation and the Contemplative Life, Londinii 1922, 200–204 et 213–221* || *§ 3 Exod. 4, 27* Aaron; *Eccli. 1, 33* fili . . .; *Ps. 118, 100* super . . . quaesivi

valere, hanc ad omnia. Martha igitur Christum prior excipit, sed non
5 sine Maria, quae tranquilla et vacans contemplatur. *factus est* enim *in pace locus eius, et habitatio eius in Sion.* Sion non est aliud quam speculatio. illa ergo Dominum invitat, allicit, trahit, perinde atque Abraham non quolibet loco Deum excipit, sed *in convalle Mambre. Mambre visio* 5
interpretatur seu perspicacia. delectat eum visio Abrahae. erat enim, inquit Origenes, *mundus corde, ut posset videre Deum. in tali* loco nec in alio *corde potest* Deus vel *angelis* vel apostolis comitatus cum Abraham cumque Martha *convivari.*

5, 1 *Maria sedens ad pedes Iesu audiebat verbum.* humilis est Maria, sedet 10
immota, nihil curat, nihil cogitat, nihil somniat nisi Christum, de cuius sermonibus quantaquanta est pendet. foris sensus feriantur, mens intus
2 est negotii plena ut merito dicat: *ego dormio et cor meum vigilat.* noverat nonnisi in quiete sapientiam haustum iri. didicerat vacandum esse, si quis videre cupiat, quoniam est Deus. non legerat Aristotelem, et vel 15
ipso melius sententiam eius declarat dicentis: *quando sedantur perturba-*
3 *tiones et tranquilla fit anima, sciens quispiam fit ac prudens. qui minoratur actu,* inquit Sapiens, *suscipiet sapientiam.* nam et filii Israel nequeunt immolare Domino nec legem Dei audire, nisi exeant Aegyptum subtrahentes sese ab opere luti et palearum, nisi procul a Pharaone in eremum 20
secedant, locum scilicet quietis et saeculi fluctibus non obnoxium. ob id utique Moyses, hoc est lex Dei, cupit nos ab Aegypto educere, id est de
4 medio tumultuantis mundi, ut lucem scientiae capiamus. atqui Pharao
[Aiv^v] noster, re|ctor tenebrarum harum, Moysi obsistet, nolitque nos dimittere. quocirca opus est ut cum Magdalena humi sedeamus ad pedes Domini, 25
ut *ascensiones in cordibus disponamus in valle lacrimarum,* hoc est in mentis humilitate et parvitate spiritus. opus est a Domino discamus mites esse et humiles corde, ut requiem inveniamus animarum, ut de nobis Propheta canat: *beatus vir, cuius est auxilium a Domino. ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum. etenim legislator dabit benedictio-* 30

§ 5 Ps. 75, 3; Isid. Orig. XV 1, 5 Sion, quae Hebraice interpretatur speculatio; *Gen. 18, 1; Hieron. Liber interpretationis hebr. nominum* Mamre divisio sive perspicuum (*ed. P. de Lagarde, Onomastica sacra, Gottingae 1887², 8, 16 = Corpus Christ., series lat. LXXII, Turnholti 1959, 69 = Migne, PL 23, 781 aut 826*); *Origenes Hom. in Genesim interpr. Rufino IV 3* (*ed. L. Doutreleau, Sources chrét. 7 bis, Parisiis 1976, 150–151; Migne, PG 12, 185 CD*) Mambre in nostra lingua interpretatur visio sive perspicacia ... delectavit eum ... Deum. in tali corde potest Dominus cum angelis suis habere convivium || **5** *§ 1 Luc. 10, 39; Cant. 5, 2* || *§ 2 Arist. Phys. 3, 247^b 10 τῷ ἠρεμῆσαι καὶ στῆναι τὴν διάνοιαν ἐπίστασθαι καὶ φρονεῖν λέγομεν* (var. *λεγόμεθα*). *cf. Jacqueline Hamesse, Les Auctoritates Aristotelis. Un florilège médiéval. Etude historique et édition critique, Lovanii – Parisiis 1974, 155 n° (187)* in quiescendo et cedendo, scilicet mundanis, anima fit sciens et prudens || *§ 3 Eccli. 38, 25; Exod. 1, 14* (operibus duris luti et lateris); *5, 6 sqq.* (paleas) || *§ 4 cf. Ps. 83, 6–7; Matth. 11, 29* discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; *Ps. 83, 6–8*

nem. sed quam tandem? optimam nimirum: *ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion*. et o ter et amplius felicem, quicunque 5 illam veri Isaac benedictionem Esau praeripiet! ille nimirum plus quam Iacob erit, non Esau scilicet, sed universae vitiorum cohortis supplan-
5 tator.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Martha *dispensatorum* typus est, et *inter* illos *quaeritur ut fidelis quis inveniatur*, nempe **6, 1** qui in frequenti ministerio satagit, nihil posthabens ut dominica familia recte gubernetur. hoc vero quorum muneris est nisi praelatorum? 2
10 quorum Martha typus est. horum est arcam fabricari eamque per undas diluvii gubernare, ne qua daemonum tempestate aut malorum procellis opprimatur, necubi impingat, necubi particulae iacturam faciat, cum tota perire non possit. sint illi solliciti, satagant, discurrant. dicant cum 3 Paulo: *ministri Christi sunt?* et nos! *quis infirmatur, et nos non infirma-*
15 *mur? quis scandalisatur, et nos non urimur?* videmus qualis Martha Paulus fuit: *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*. cuius quotidiana est instantia et omnium ecclesiarum sollicitudo. sed et Abraham, bone Deus, quam impiger est, 4 quam expositus in Dei officia! vidit tres viros super se astantes. nunquid
20 cunctabundus adrepsit, quasi exploraret quinam essent? nihil utique minus! quin sic legimus: *vidit et occurrit eis obviam. et dum occurrisset, festinat ad tabernaculum dicitque uxori suae: accelera ad tabernaculum*. quanta ibi suscipientis alacritas! festinatur in omnibus, omnia perurgen- 5 tur, nihil per otium geritur. deinde sequitur: *ipse cucurrit ad boves et*
25 *accepit vitulum*. sed qualem, quaeso,| vitulum? forte qui primus occurrit? B1r non ita, sed vitulum *tenerrimum et optimum*. quamvis per omnia festinat, 6 meminit tamen praecipua Deo et sanctis offerenda. *vitulum denique tradidit puero. puer festinavit et coxit eum. ipse currit, uxor accelerat, puer festinat. nullus*, inquit Origenes, *piger est in domo sapientis*.

30 Deinceps legimus: *Martha stetit et dixit: 'Domine, non est tibi curae, quod soror mea relinquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adiuvet.'* **7, 1** hic vero neutiquam silentio transsiliendum Mariam non causari vicissim, quod eam soror relinquit solam vacare. nam qui Deo vacat, non aspirat ad negotiorum turbas. sed et eadem Martha, quamquam negotiis pressa, 2
35 tamen non rixatur, sed cum honoris praefatione Domino conqueritur illumque iudicem statuit. nunc vero, tanta temporum iniquitate si quis Mariam imitetur, multi murmurant, multi reprehendunt, oblatrant,

§ 5 Gen. 27, 1–45 || **6** *§ 1 Luc. 10, 40; Paul. 1 Cor. 4, 2* || *§ 2 cf. Gen. 6, 11–8, 14* || *§ 3 Paul. 2 Cor. 11, 23 et 29* || *§§ 4–6 cf. Gen. 18, 1–8* || *§ 6 Origenes Hom. in Genesim (cf. supra ad 4, 5) IV 1 (ed. Doutreleau 146, 46–47; Migne, PG 12, 184 C)* ipse currit, uxor festinat, puer accelerat. nullus ... sapientis || **7** *§ 1 Luc. 10, 40*

23 suscipientes H || 27 memini H

3 lacessunt. si quem vident *de saeculo exire operamque dare divinae legi*: ecce, inquiunt, ignavi homines; otium sectantur ut ecclesiasticis opibus adiuti vitam agant in umbra, *ne laborent, ne militiam* sectentur. *quid est*, inquiunt, *servire Deo nisi laborare nolle et inertis otii occasiones quaeritare?*
4 huiusmodi convicia, inquit Origenes, iactantur in homines Deo vacantes. 5
perinde atque Israeliticus *populus*, donec apud Pharaonem *lutum operatur et lateres, donec in paleis occupatus est, non* dicit Pharao *eum esse perversum, sed recta incedere*. atqui ubi dicunt *se velle viam ire trium dierum et servire Domino*, tum dicit Pharao ad Moysem et Aaron: *quare*
5 *pervertitis populum ab operibus?* nos vero, ne simus Pharaonis amici et, 10
ut ita dixerim, simiae et diabolicae factionis, non arguamus, quin plurimum laudemus eos, quicumque Deo in eremo sacrificare student, vitiorum Aegypto valefacientes.

8, 1 *Dixit autem Iesus: 'Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima.'* videmus qualem patronum Maria habet. indignatur Pharisaeus, quod 15
ipsa Christum tangat. conqueritur soror, quod in ministerio sese deserat. murmurant discipuli, quod ab ea *unguentum pretiosum*, ut aiebant, perderetur. Maria semper tacet, et loquitur pro ea Christus, qui *in verbo*,
Biᵛ 2 inquit Augustinus, *non laborat, quia ver|bum est*. o Maria, quam secura tu subis aleam iudicii, quoties rea citaris, quae quidem talem nacta es 20
advocatum, non dico omnis iustitiae consultissimum, sed qui ipsemet est
3 iustitia, cuius solum velle unica iustitia est. sed quid est quod Dominus Mariae contra Martham patrocinatur, quasique suggillans partem Marthae attollit partem Mariae? nonne ipsemet dixit: *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*, et rursus: *ubi ego fuero, illic* 25
4 *et minister meus erit*, et: *qui maior est vestrum, erit vester minister*. ita profecto res habet. proinde nequaquam damnatur pars Marthae, quin laudatur potius, cum eam Dominus suaviter alloquens nominis repetitione amare indicat: *Martha, Martha*, inquiens, *sollicita es et turbaris erga plurima*, quasi dicat: recte tu quidem facis, sed Maria optimam partem 30
elegit. de electione itaque Maria laudatur, quia praecipuum sectatur, non
5 quia pars Marthae sit mala. nam et apostoli non iudicaverunt bonum, *servire mensis et verbum Dei relinquere*, cum tamen et illud sit munus sapientis, quandoquidem *Stephanus plenus gratia et sapientia et Spiritu sancto*, qui *signa et prodigia faciebat* multa *in populo*, minister est electus. 35
6 potest item Maria videri laudata, quia ad utrumvis erat parata, et vacare Deo et proximis ministrare. quis enim sicut David, fidelis, ingrediens et

§§ 3–4 Origenes Hom. III in Exodum 3 (Migne, PG 12, 315 A) paraphrasi satis libera laudata; Exod. 1, 14; 5, 1–9 || **8** *§ 1 Luc. 10, 41; 7, 39* (Pharisaeus)*; Matth. 26, 7–8; August. loco incerto, quem ne ope quidem indicis Wirceburgensis reperire potui.* laborant in verbo *est apud Paulum 1 Tim. 5, 17* || *§ 3 Ioh. 12, 26; Matth. 23, 11* || *§ 4 Luc. 10, 41* || *§ 5 cf. Luc. Act. 6, 2–8* || *§ 6 cf. 1 Reg. 18, 16; Paul. 1 Tim. 3, 13*

egrediens et pergens ad imperium regis? *bonum*, inquit Apostolus, *acquirit gradum, qui bene ministraverit*; et meliorem forte, qui Deo vacaverit; optimum autem, cui neutrum defuerit.

Porro unum est necessarium. nisi enim, inquit Bernardus, *opus tuum in* 7
5 *unitate feceris, Deo, qui unus est, acceptum profecto* (*teste ipso*) *non erit*. hanc unitatem commendat Paulus Corinthiis: *obsecro*, inquiens, *vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*. et alio loco: *unanimes, unum sentientes*. et rursus: *solliciti sitis servare unitatem in vinculo pacis*. hac unitate erat *multitudinis credentium cor unum et anima* 8
10 *item una*, uti Christus petiverat: *Pater sancte, serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos*. hoc uno necesse est, ut unum simus in capite nostro, si ad unum illud aspiremus, quod David commemorat: *unam*, inquiens, *petii a Domino; hanc requiram, ut* | *inhabitem in domo Domini* Bii^r *omnibus diebus vitae meae*. nam *qui Domino adhaeret, unus spiritus est*,
15 ut testatur Apostolus.

Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. nam tu, Martha, **9,** 1 pro labore tuo mercedem quaeris quietem. a te auferetur aliquando negotium et sollicitudo, sed aeterna est dulcedo contemplandae veritatis. nullo annorum serie, nullo temporum curriculo peribit. melior ergo pars 2
20 Mariae, quia nunquam auferenda. pars Marthae temporaria est. nam in regno Dei nullus erit egestosus, quem hospitio foveamus; nullus esuriet, cui panis frangatur, nec sitibundus quisquam erit potu indigens, nec aegrotus invisendus. haec non erunt illic. sed quod Maria elegit, illic 3 pascimur, non pascimus, iuxta promissionem Domini: *amen, amen dico*
25 *vobis, quia faciet eos recumbere, et transibit et ministrabit eis*.

Haec est sacrosancti evangelii series, nostrae institutioni a me utcum- 4 que accommodata; immo vero a sanctis doctoribus, quorum per amoenos vagatus hortulos flosculos decerpsi. proinde, sicubi ad virtutem hortatus sum, sicubi mortalium errores suggillavi, nemo, quaeso, putet ob hoc me
30 censorem velle morum esse alienorum, aut superbum coarguendi supercilium arrogare, sed meminerit sic se a sanctis admoneri.

Ceterum nunc restat de Virgine superbenedicta Dei matre pauxilla **10,** 1 disserere eique evangelium hoc sigillatim aptare. de qua o si mihi detur non indigna ebalbutire! colligimus itaque Dominum Deum trifariam
35 excipi hospitio, vel cum in domum manufactam ingreditur, vel quoties eius nomine calamitosi homines domo foventur, vel cum humanae mentis puritate allectus in eius diversorio deliciatur. virgo autem Maria extra 2 hos modos singulari quodam modo eum excepit in castellum castissimi

§ 7 Luc. 10, 42; (Ps.-) Bernard. Clarav. Sermo (olim V^{us}*) in Assumptione B. Mariae Virginis, Migne, PL 184, 1007 A; Paul. 1 Cor. 1, 10; cf. Phil. 2, 2; Eph. 4, 3* || *§ 8 Luc. Act. 4, 32; Ioh. 17, 11; Ps. 26, 4; Paul. 1 Cor. 6, 17* || **9** *§ 1 Luc. 10, 41* || *§ 3 Luc. 12, 37*

uteri sui, quod ipse neque ingrediens neque egrediens contaminavit, immo consecravit. purissimum eius corpusculum, summe Deus, quam ornata domus fuit! quam Spiritus sanctus septem fultam columnis faberrime extruxit, in qua et officinam sibi constituit illius mirificissimi 3 opificii, quo limus, anima et Deus in unam coibant personam. hac in domo 5 Maria, amantissima sponsa veri Salomonis, multiplices

virtutum areolas mira distinxerat arte,

Bii^v et desideratissimum | procum huiusmodi invitabat sermone: *veniat dilectus meus in hortum*, non dico meum, sed *suum* utique, *ut comedat* 4 *fructus pomorum suorum*. eadem in domo stratus erat floridus Salomonis 10 lectulus sanctae militiae corona sic stipatus, in quo tam erat *terribilis castrorum acies collocata* ut nihil unquam irruperit, quod dormiturientem sponsum evigilare faceret aut vigilanti obstreperet aut deliciantem 5 offenderet. hac in domo peractum novum illud et omnibus saeculis inauditum miraculum, quod tanto prius Hieremias vaticinatus fuerat, 15 ut mulier circundaret virum citra virum. innotescit ergo nobis cuiusmodi castello Maria Dominum non dico excepit, sed invitavit, immo introduxit, vel potius sanctissimae mentis fragrantia e throno Dei Patris in scriniolum alvi fecerit avolare, non secus quam procum amoris vino 6 ebrium. ceterum nihil haereamus, quamvis quae Dominum excepit 20 mulier non Maria, sed Martha vocetur, quoniam in una hac et summa Maria et Marthae negotium et Mariae negotii plenum otium affatim est invenire. nam *filiae regis omnis* quidem *decor ab intus*, nihilo tamen minus *in fimbriis aureis circumamicta* est *varietatibus*.

11, 1 Ut autem haec elucescant, parvo compendio perstringamus quaenam 25 2 Marthae fuerint peculiariter asscripta, et quae rursus Mariae. Martha Christum in domum suscipit, Martha satagit circa frequens ministerium, Martha sollicita est turbaturque erga plurima. annon universa haec Virgo Theotocos, hoc est Deipara, prosequuta est? est profecto, et nequa-3 quam segniter aut vulgariter. ipsa quidem Dominum Deum suscepit, 30 non dico in domum lateritiam aut forte marmoream, sed intra penetralia viscerum suorum, eundemque universa pascentem succo virgineo 4 nutricavit. porro autem satagebat oppido circa frequens ministerium, cum ab angelo pronubo *gratiae plena* salvere iussa illico exsurrexit dictumque ac factum *abiit in domum Zachariae*, ut virguncula adhuc et 35 filio tamen Dei feta cognatae Elizabeth, praecone praegnanti, pietatis sedula exhiberet officia, *tribus mensibus*, ut canit Ecclesia, laborando 5 transactis. stupendum profecto obsequium! regina caelorum, quam

10 *§ 2 cf. Prov. 9, 1* Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem || *§ 3 Cant. 5, 1* || *§ 4 cf. Cant. 6, 3* || *§ 5 Ier. 31, 22* || *§ 6 Ps. 44, 14* || **11** *§ 2 cf. Luc. 10, 40–41* || *§ 4 Luc. 1, 28; 39–40; 56*

19 scrinolum **H** || 36 praeconae **H**; *vide et adnotationem ad locum (p. 106)*

beatam omnes praedicant generationes, | cui genua suppliciter flectunt Biii^r
caelestis aulae primates, non modo *ancillam Domini* sese vocat (quamquam id quoque perquam humiliter), sed et aniculae ancillatur. sed quis, 6
quaeso, omnifaria recenseat obsequia, quae materno affectu suavissimo
5 filiolo suo recens nato impendit, cum illum obstetricantibus angelis de
virgineo thalamo tanquam sponsum prodeuntem non in amplissima regia,
sed vilissima casula fovet, atque ea ne sua quidem, sed omnibus alienigenis promiscue communi; cum eum algentem non purpureis fasciis, sed
panniculis involvit, non regalibus cunabulis, sed *foeno reclinat*, et maxima
10 caeli asperitate, saevientibus Boreis, virgineae papillulae fonticulo
nutrit, deque ea suspendit universam hanc corporum congeriem digito
librantem. denique an non turbatam credamus, cum insanam feralemque 7
saevientis Herodis tyrannidem fugiens, charissimum pignus in Aegyptum
aveheret? nonne plurimum sollicita fuit, vel cum filium veluti amissum
15 per omnia vestigat, vel cum sancto manuum labore victum vestitumque
ei pauperculo ipsa itidem paupercula quaeritat, vel cum nuptias vino
videns carere filium modestissime monet? postremo qualis tandem, qualis 8
illa fuit sollicitudo dixerim an turbatio . . . nimirum turbatio, cum gladius
ille doloris, quem fatidicus senex fuerat vaticinatus, per singulos unici
20 cruciatus materna viscera permearet, cum filium de alta cruce loquentem
audiens permutationem illam facere debuit, o quam nimis imparem: deum
pro homine, magistrum pro discipulo, filium Dei unicum pro Zebedaei
filio non unico commutans!

Haec itaque Martha: nonne circa frequens ministerium satagit? nonne **12,** 1
25 sollicita fuit? nonne circa plurima turbata? Magdalenae porro officia
nihilo secius peregit. illa enim sedet ad pedes Iesu. interpellata non
respondet quicquam. audit assidua sermones dominicos et eius pars
optima praedicatur. quid est autem aliud humi sedere ad pedes Iesu 2
quam humilem esse? et quid, quaeso, humilius beatissima Virgine aut
30 est aut fuit aut aliis erit in annis? quae cum ab angelo benedicta praedicaretur supra quam quaecunque esset mulier, cumque audiret qui
nasceretur ex sese filium Dei vocatum iri, modestissime tamen | et prono Biii^v
corde respondit: *ecce ancilla Domini. fiat mihi secundum verbum tuum.* o 3
sublimis ancilla, quae mater es Dei! o humilis Dei mater, eadem et
35 ancilla! denique ad Elizabeth ubi pervenerat, illa personam ad se
venientis admirata *unde*, inquit, *hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad
me?* eadem salutantis vocis efficaciam extollens *ut facta est*, inquit, *vox
salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.*

§ 5 Luc. 1, 48; 38 || *§ 6 cf. Luc. 2, 7* || *§ 7 cf. Matth. 2, 13–15; Luc. 2, 42–51; Ioh. 2, 1–6* || *§ 8 Luc. 2, 35; Ioh. 19, 26–27* || **12** *§ 1 cf. Luc. 10, 40–41* || *§ 2 Luc. 1, 26–38* || *§ 3 Luc. 1, 41–45*

3 per quamhu- **H**

postremo fidem credentis Mariae commendans *beata*, inquit, *quae* 4 *credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino*. Maria vero hiis ex praeconiis tam veris, tam raris, tam nulli communibus, quantum est gloriata, quantum superbivit, quas erexit cristas? omnia certe contra legimus. tu, inquit, matrem Domini magnificas; ego vero, immo *anima mea Dominum magnificat*. tu perhibes voce mea infantulum prae gaudio in utero tuo exultasse. *meus autem spiritus exultavit in Deo salutari meo*. beatam ais esse me, quia crediderim. quin potius *ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia humilitatem ancillae suae respexit Deus*. 5 ecce quam incredibili modestia, quicquid ei optimo iure asscribebatur, non sibi vendicavit arroganter, sed omnia Deo illorum auctori referebat accepta. ecce *nardus* Mariae, humilis scilicet herba, qualem *dedit odorem,* 6 *cum esset rex in accubitu suo*! denique legimus in Actis Apostolorum, quod redeuntes a monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione. sed quid tandem? si Maria forte assit, nominetur prima, quae meritis omnes longe a tergo relinquit. Petrus dicitur et Andreas et Iacobus et Ioannes et ceteri, qui numerantur. *hii omnes perseverabant cum mulieribus* 7 *et Maria, matre Iesu. itane*, exclamat suaviloquus Bernardus, *mulierum* quoque *sese ultimam exhibet ut omnium* postrema ponatur. *merito* profecto *facta est novissima prima, quae cum prima esset omnium, novissimam sese faciebat. merito facta est omnium domina, quae omnium sese exhibebat ancillam.*

13, 1 Magdalena perpetuum obtinet silentium. Maria itidem non est loquacula, non est garrula, sed *velox ad audiendum, ad loquendum tarda*. quater enim, nec saepius, in evangelio loquutam legimus. quin et filio suo cum | [Biv^r] cuperet loqui, non interpellavit sermocinantem, non irruit ad eum, quod alioqui maternam auctoritatem neutiquam dedecuisset, sed *foris stabat* 2 tacita atque opportunitatem praestolans. in nuptiis praeterea visa est a filio duriuscule, si fas est dicere, coargui. nihil tamen contra mutivit. dicenti filio *quid tibi et mihi, mulier?* non respondit 'curae est mihi, et tibi debet esse curae', sed certam obtinens spem sese exorasse, ministros 3 monet ut quae ipse iuberet ne cunctarentur obtemperare. Magdalena audiebat verba Iesu. sed, o superi, quanta fuit verborum suavitas, quae angelus paranymphus Mariae insusurrabat! quod nectar aurium illud erat! ipsa *conservabat omnia verba* angelorum, pastorum, magorum, Simeonis, Annae prophetantis necnon ipsius quoque filii conferens *in* 4 *corde suo*. nulla tam occulta, tam mystica, quae mentis eius acies non

§ 4 Luc. 1, 46–48 || *§ 5 Cant. 1, 11* || *§ 6 Luc. Act. 1, 12–14* || *§ 7 Bernard. Clarav. Sermo in dominica infra octavam assumptionis B. M. V. (Migne, PL 183, 436 A)*: . . . exhibebat . . . ut novissima omnium poneretur? . . . sese novissimam . . . se omnium . . . || **13** *§ 1 Iac. 1, 19; Matth. 12, 46–50* || *§ 2 Ioh. 2, 1–5* || *§ 3 Luc. 2, 51*

34 nactar H

penetraret contemplando. nihil non sapiebat de Deo, *in quam gratiae plenam Spiritus* etiam *sanctus*, ut superplena esset, *supervenit. Christus*, inquit Apostolus, *est Dei virtus et Dei sapientia.* et alibi: *in eo*, inquit, *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei reconditi.* si ergo in Maria Christus, nonne colligimus Dei virtutem et sapientiam, omnes item thesauros sapientiae et scientiae Dei in Maria latere? ipsa una ipsa **5** *inebriabatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis eius potabatur.* nemo unquam sic sategit circa frequens ministerium, nemo sic sollicitus fuit. nemo rursus sic vacavit, et vidit quoniam est Deus. nemo sic *gustavit* quam *suavis est Dominus.* praecellenter itaque et non imitabili exemplo et Marthae sancta vicit obsequia, et Magdalenae parte multo meliorem elegit. ceterum Marthae temporaria et fluxa pars hodie est ei ablata. et ideo per orbem terrarum singulari laetitia universa exultat **6** ecclesia. haec est enim dies una, quam fecit Dominus, qua humilis ancilla Dei ad caelestis throni celsitudinem subvolavit, ubi iuxta verum Salomonem in regni solio sublimata residet. confidenter enim hodie **7** ubique canit ecclesia: *exaltata est sancta Dei genitrix* virgo *super* omnes *choros angelorum ad caelestia regna,* id *quod*, inquit divus Hieronymus, vir eloquentissimus, *de nullo aliorum sanctorum fas est credere.*|

[Biv^v] **14, 1** Sed quidnam ego auditu dignum afferam de celebri hac festivissimaque assumptione, cuius triumphalibus pompis ne angelicae quidem voces pares esse queant? quod si quis me roget, post assumptionem Domini filii sui quid in terris egerit: satis certum est, inquam, et, ut Hieronymus censet, minime dubitandum quod virgo corpore et mente sanctissima permanserit, quod eam angelus Gabriel quasi caelestis paranymphus accurate observaverit frequensque inviserit; quod ei Ioannes, virgini virgo, officiose seduloque ministraverit; quod in lege Domini inque virtutum schola sub sancti Spiritus disciplina perseveraverit, cum sanctis apostolis filii sui memoriam identidem refricans, cum testibus sanctae resurrectionis testis et ipsa libenter de filio colloquens, et demum taedio huius vitae, longi exilii, sitienter anhelans *ad Deum fontem vivum*, perinde atque *cervus ad fontem aquarum.* sic sacro studio sanctisque **2** operibus quadraginta septem annis iuxta temporum supputationem transactis, tandem illuxit expectatissimus ille dies, quo ad filium ex

§ 4 Luc. 1, 28; 35; Paul. 1 Cor. 1, 24; Col. 2, 3 || *§ 5 Ps. 35, 9; 33, 9* || *§ 6* ecclesia *in versu vesperarum festi assumptionis;* (*Ps.-*) *Hieron. Epist. 9, 7* (*Migne, PL 30, 128 CD*) haec est dies praeclara, in qua meruit exaltari super choros angelorum, et pervenire ultra quam nostrae humanitatis est natura . . . quod de nullo alio sanctorum fas est credere || **14** *§ 1* (*Ps.-*) *Hieron. Epist. 9, 3* (*124 C*) unum pro certo est, quia virgo sancta corpore ac mente permansit; quam sane angelus Gabriel ac si caelestis paranymphus intactam custodivit; *Ps. 41, 1–3* quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum . . . sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum

hac valle lachrymarum commigraret. tunc ergo dixisse intelligitur: *adiuro vos, filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei quia amore langueo, quia iam olim extorris caelesti regione ad eum anhelat anima*
3 *mea*. porro quo pacto migraverit a corpore, quibus suffragantibus, quonam sincerissimum corpus asportatum sit, et resurrexeritne an minus, 5
4 nihil nisi in Apocryphis certo legimus auctore, ut Hieronymus Augustinusque testantur. tametsi epistola quaedam Dionysii circunfertur vulgo (si tamen est ipsius Areopagitae), qua se scribit una cum apostolis
5 decessui Mariae affuisse. sed fides illius penes auctores esto. ceterum mortem, inquit Augustinus, eam subiisse temporalem dicere non metui- 10 mus, memores humanae conditionis. an vero cum corpore gloriosa sit assumpta, *homo*, inquit idem, *non fingat apertum, quod Deus voluit esse occultum. vera* enim *sententia* est ut, *sive in corpore, sive extra corpus*
6 *ignorantes, supra caelos assumptam esse credamus*. quamquam in alio sermone plusculis non incongruis persuasionibus consentaneum esse 15
Cl' declarat ut, qui parientem eam virginem servaverat, idem corpus | eius a vermibus paedoreque illaesum assumpserit. cui quadrat quod divus Hieronymus in huius diei sermone ait: *monstratur*, inquiens, *sepulchrum eius cernentibus nobis in vallis Iosaphat medio, ubi nunc mausoleum eius*
7 *vacuum esse ostenditur*. utcumque autem acciderit, certe sine poena, sine 20 maerore, sine timore nocturno vitam cum morte commutavit, immo vero pro mundana morte iugem vitam obtinuit. qui enim mors ipsi terribilis fuisset, quae mortis triumphatorem mortisque mortem progenuerat?
8 usurpabatur dubio procul a diva virgine ad laetitiam mors, mater alioqui maeroris. usurpabatur ad gloriam gloriae inimica. usurpabatur ad regni 25 ingressum porta inferorum. *ubi erat, mors, victoria tua? ubi erat, mors, stimulus tuus?* mortua eras, o mors, cum Virgo moreretur, cuius filius
15, 1 hamum tibi, quem crudelis glutisti, inescavit. proinde *ad exequias* Virginis, ut credere fas est, *famulabantur angeli, et universae caelorum* cohortes venerabundae supplicesque *congratulabantur*. quodsi, ut saepi- 30 cule legimus, *ad* plusculorum *sanctorum funera* dignatus est Deus *angelos* missitare, quanto magis consentaneum est hodierna die *sanctam civita-*

§ 2 *cf. Ps. 83, 7; Salve regina (saec. XI)* in hac lacrimarum valle; *Cant. 5, 8* adiuro ... langueo || *§ 3 (Ps.-) Hieron. Epist. 9, 2 (123 D–124 B); (Ps.-) August. Sermo 208 in festo assumptionis B. M. V. (Migne, PL 39, 2130), 2* || *§ 4 Ps.-Dion. Areop. De div. nom. III 2 (Migne, PG 3, 681 CD). opus saepius latine versum est media aetate, bis etiam saec. XV, primum ab Ambrosio Traversario, quem anno 1499 Faber Stapulensis Parisiis edidit; dein a Marsilio Ficino, qui Florentiae a. 1496, dein saepius Venetiis et Argentorati est impressus. cf. Ch. L. Stinger, Humanism and the Church Fathers: Ambrogio Traversari (1386–1439), Albany 1977, 161* || *§ 5 Ps.-August. Sermo 208, 3 (Migne, PL 39, 2130) quibusdam mutatis* || *§ 6 Augustini locum frustra quaesivi; Ps.-Hieron. Epist. 9, 2 (Migne, PL 30, 123 CD)* || *§ 8 Paul. 1 Cor. 15, 55* || **15** *§ 1 Ps.-Hieron. Epist. 9, 8 (Migne, PL 30, 130 B); cf. Ioh. Apoc. 21, 2*

tem Hierusalem novam descendisse de caelo a Deo paratam tanquam sponsam ornatam, occurrisse alacriter, gestienter, festiviter, et incredibili exultasse tripudio. iam vero Salvator ipse quam festivus, quam triumphans, quam maiestatis plenus creditur cum caelestis exercitus militia pro matris reverentia obviam ivisse et huiusmodi eam sermone invitasse: *surge*, propera, *amica mea*, *sponsa mea*, *columba mea* et, quod maximum, mater mea, *ac veni. iam enim hiems* mortalis vitae *transiit*, *imber* periculorum sollicitudinumque *abiit et recessit*. si enim *nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis descenderunt quae Deus* quibusvis *sese diligentibus praeparavit*, qualia, qualia inquam, aestimanda sunt, quin potius quam inaestimabilia sunt, ineffabilia, incomprehensibilia, quae virgini matri ante mundi constitutionem paravit! hodie videlicet adimpletum est Esaiae vaticinium: *gaudebit sponsus super sponsa*. o Maria, *viae tuae*, quam *pulchrae* fuerunt *viae*! et *semitae tuae*, quam *pacificae* semitae! quo *in odore unguentorum*, immo vero, quibus in un|guentis tu hodie *cucurristi post illum*, qui *exultat ut gigas ad currendam viam*. qua virtutum celeritate tu fuisti instructa, quae sequuta es illum, qui *saliens in montibus transsilit colles*. nunc *induere vestimentis gloriae tuae civitas sancta*; induere, *gaude et laetare*, Sion. hac *in neomenia buccinate tuba*, *in insigni die solemnitatis vestrae*. nunc, nunc inquam, *egredimini*, *filiae Sion*, *visurae* duo iucundissima caeli miracula: reginam in diademate, quo coronavit eam filius suus in die assumptionis suae, et verum *Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis suae*. hodie siquidem *magnum apparuit signum in caelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim*. dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis stellis multo clarius effulgens illustrat magis eas, quam ab eis illustretur. quidni coronent sidera, quam sol vestit, quaeque invicem *solem iustitiae* carne vestivit. ipse *posuit in capite* Mariae *coronam de lapide pretiosissimo. sicut dies verni circundant eam flores rosarum et lilia convallium*. quaecunque de sancta Dei ecclesia propheticae litterae testantur, eadem universa Mariae aptissima mysteriorum similitudine quadrant. *egredimini* ergo, o *filiae Sion*, et *solvite calciamenta de pedibus vestris*, hoc est, involucra ponite carnalium cogitationum. alioqui videre non potestis visionem hanc magnam. *viderunt*, inquit, Esaias, *insulae et timuerunt*, *extrema terrae obstupuerunt et acces-*

§ 2 cf. Cant. 2, 13–14 || *§ 3 Cant. 2, 11; cf. Paul. 1 Cor. 2, 9* || *§ 4 Is. 62, 5; cf. Prov. 3, 17; Cant. 1, 3; Ps. 18, 6; Cant. 2, 8* || *§ 5 Is. 52, 1; Ier. Lam. 4, 21; Ps. 80, 4; Cant. 3, 11* || *§ 6 Ioh. Apoc. 12, 1; Mal. 4, 2; Ps. 20, 4; Responsorium post lectionem I matutinarum in festo assumptionis Mariae, Breviarium Romanum II, Romae – Tornaci 1910, 646* et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. *cf. Eccli. 50, 8 et Cant. 2, 1* || *§ 7 Cant. 3, 11; Luc. Act. 7, 33* || *§ 8 Is. 41, 5; Cant. 3, 6*

21 Dyademate H || **23 dyademante H**

serunt. sed non extrema solum terrae, quin et ultramundani illi primates rei novitatem admirati sic exclamant: *quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi* 9 *pulveris pigmentarii?* recte quidem virgula dicitur Maria, utpote gracilis et delicata divinisque extenuata disciplinis, et intus concremata in holo- 5 caustum Dei incendio amoris et flagranti charitatis flamma. ex aromatibus autem, quia virtutum *eius fragrantia*, *odor* promanabat *quasi odor agri pleni, quem benedixit Dominus*; qui odor spiritus angelicos mirum 10 Cii^r quam delectabat. per desertum denique Maria ascendit, quae scilicet | non sulcata est alicuius sceleris vomere, non carnalibus exarata concupiscen- 10 tiis, voluptatis semina prorsus ignorans. ipsa est desertum, de quo Ozee vaticinatur: *adducet*, inquiens, *Dominus ventum de deserto urentem, et desiccabit venas mortis*. quis autem mortis venas desiccavit nisi Christus 11 Dominus, quem nobis intemerati uteri desertum refudit? mirantur itaque per desertum ascendere virgulam fumi, quae *de radice Iessea* olim sub- 15 nata, nunc angelorum felicitatem anteibat, atque ob id rursus quasi sese iam prae stupore non capientes exclamationem iterant: *quae est ista, quae ascendit quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut* 12 *castrorum acies ordinata?* Maria profecto quasi novi diluculi aurora, praevia soli, ascensu suo pulchra ut luna illuxit; immo vero, multo quam 20 luna pulchrior, quae nullam posthac eclipsim passura, semper obvia soli caeli tractus permeabit, semper solis illustrabitur fulgore, electa videlicet ut sol. ipsam enim elegit *sol iustitiae* ut nasceretur ex ea. quae virtutum agminibus et divinae militiae copiis facta est *terribilis ut castrorum acies* **16,** 1 contra daemonum in homines machinas *ordinata*. postremo non satis est 25 semel atque iterum in stuporem versos esse coetus angelorum. verum enimvero ascensus virginis tam novus, tam triumphalis, tanto splendore, tam incredibili celebratur apparatu ut tertio demum quasi extra sese positi proclament: *quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens?* 2 non capiunt satis mentes subtilissimae undenam heae tantae proficiscan- 30 tur deliciae, quantas ne in ipsis quidem est invenire, quas *in civitate* 3 *Domini fluminis impetus laetificat*. nonne, inquiunt, desertum est mundus ille sublunaris, ubi nihil est nisi *labor et dolor et afflictio spiritus*? et qui fieri potest ut inde tamen heae tantae subvehantur deliciae rarissimae, pretiosissimae, inauditissimae, quasque vix capiat mentis nostrae acies? 35 Cii^v nempe fecunda virginitas, quae non est | in nobis; humilitas non incredula; nunquam defecturus charitatis ardor; gratiarum cornu copiae et 4 amplissimum et undiquaque superplenum. hiis videlicet virgo Maria

§ 9 Gen. 27, 27 || § 10 Osee 13, 15 || § 11 Is. 11, 1; Cant. 6, 9 || § 12 Mal. 4, 2; Cant. 6, 3 || **16** *§ 1 Cant. 8, 5 || § 2 cf. Ps. 45, 5 || § 3 Eccl. 1, 17 et Ps. 10, 7 (cf. Ps. 89, 10)*

32 fluminus **H**

speciosa facta est et suavis in deliciis suis. mirari desinant caelestes deserti nostri delicias. mirari desinant Mariam tam gloriosam de deserto supra sese subvolare. sed quamobrem? nempe quia innixa est super dilectum suum. sed quis loquetur potentias eius, auditas faciet omnes laudes eius? 5
5 iocundare, *filia Sion, exulta et iubila satis, o filia Hierusalem*. hodie, ut verbo utar prophetae, *repleatur os nostrum laude, ut cantemus gloriam* Mariae, *tota die magnitudinem* eius. ipsa enim introivit in potentias Domini, et memoratur iustitiae eius solius, sed non ita ut immemor sit nostri, ut exilii nostri, cuius et ipsa fuit incola, curam posuerit. particeps 6
10 facta caeli terraeque ditionis, tamen nostram vallem despicit, a qua supplices mussitamus. *nunquid potest mater oblivisci filii uteri sui?* et si illa oblita fuerit, certe Maria nostri nunquam obliviscetur. proinde eam 7 etiam atque etiam teneamus, nec dimittamus donec benedixerit nobis, ut *in odore unguentorum eius curramus* post eam, quae *uncta est oleo laetitiae*
15 *prae participibus suis*. ipsa in unctione cucurrit; nos in illius odore utinam mereamur currere! per quam, nec aliter, patet ad Deum accessus. *Deus* 8 enim *noster ignis consumens est*. merito peccatores formidamus accedere ne, *sicut liquescit cera a facie ignis*, ita nos quoque evanescamus a facie Dei. quamobrem resideamus sub umbra platani longe lateque palmites 9
20 protendentis, sub umbra olivae speciosae, ut ipsa dignetur in nos depluere *aromata myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii*; non ut in pulvere dormiamus et mane quaesiti non subsistamus, sed ut Maria ceu luna noctis nostrae praelucente nos quoque ascendamus adoremusque in loco, ubi steterunt pedes eius. id quod nobis annuat Deus Optimus Maximus
25 in saecula superbenedictus. amen.

Τὸ τέλος

§ 4 Antiphona 4 ad vesperas in festis Beatae Mariae Virginis per annum, Breviarium Romanum II 134 speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix || *§ 5 Zachar. 9, 9; Ps. 70, 8* || *§ 6 cf. Is. 49, 15* || *§ 7 Cant. 1, 3; cf. Ps. 44, 8* || *§ 8 Deut. 4, 24; Iudith 16, 18* || *§ 9 cf. Eccli. 24, 19 et Ps. 79, 12; Cant. 3, 6*

II

Ciii[r]

ORATIO IN LAVDEM ARISTOTELIS DICTA A MAGISTRO MARTINO DORPIO LOVANII TERTIO NONAS DECEMBRES ANNO DECIMO

1, 1 Cum in vestro celeberrimo consessu, patres praestantissimi, rursus 5
verba essem facturus mecumque animo ipse reputarem, quam operosum
esset saepius eadem de re in eodem itidem loco disserere, visum est mihi
quam optime congruere ut, quoniam antehac de philosophia iterum at-
que iterum peroraverim, et alii praeterea permulti docti ac eloquentes
viri, nunc cursum alio flectens ac velum vertens de philosophiae praeci- 10
puo illustratore ac prope dixerim parente, nempe de Aristotele, omnium
philosophorum qui sunt, qui fuerunt quive aliis erunt in annis, principe
et Achille, rara quaedam e litterarum monumentis depromam, atque
eadem opera calumniis malevolis quorundam lucernariorum respondeam.
2 qui non veriti sunt (facinus indignum) eum ducem ac heroem, qui tot 15
saeculis, tot aetatibus arcem tenuit omnium disciplinarum, non, inquam,
veriti sunt improbe conari de arce deturbare. quod quidem quid est
aliud quam gigantum more deos lacessere? porro dictionis nostrae
arietem in Laurentium Vallensem destinato dirigimus, virum alioqui
exacte doctum acutumque et summum forte grammaticum, sed qui 20
tamen in eo licentiae, ne dicam dementiae, processit ut non modo sui
ordinis homines incessat, suggillet ac lancinet, non Porphyrium modo,
Ciceronem, Boethium, Lactantium aliosque plurimos aperto Marte
invadat, verum et contra universam Peripateticorum familiam atque
eius parentem Aristotelem venenata maledicentissimae linguae tela 25
3 acuat. eius forte de dialectica libri nuper in lucem prodiere. quibus qui-
dem edendis videntur mihi chalcographi in philosophiam inexpiabile
scelus perpetrasse, qui blattarum tinearumque gregi suum pabulum
surripuerint et libros perpetuis damnandos tenebris ac in Plutonis regia
4 sepeliendos in publicum emiserint. audio siquidem passim iactari atque 30
omnibus esse in ore, non tam praecellentem esse sophum Aristotelem
quam a sectatoribus suis celebratur, utpote quem Laurentius Vallensis,
argutus videlicet homo, non modo saepesaepius reprehenderit, verum et
Ciii[v] stultissime dixerit sentire, id quod | vestrae, patres ornatissimi, aures vix

§ 1 cf. Verg. G. IV 393 quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur || *§ 3 cf. Hor. Sat. II 3, 119* blattarum ac tinearum epulae*; cf. etiam infra Or. IV 5, 5, 12*

15 haeroem **H** (*alibi* heroem *legitur*) || 23 Boetium **H** || 24 Peripatheticorum **H** || 27 calcographi **H**

(sat scio) ferunt. atque quod reliquum est, o dii deaeque, eloquar an 5
taceam? ecquo me vertam? ecquo sermone hominis virus effabor, qui
totam peripateticam sacram familiam nugarum amatricem exclamaverit
et insanam esse nationem! monstrum hominis Oreste ac ipsa insania
5 longe quidem insanior, et publica Furiarum fax atque emporium viru-
lentiae.

dixerat 'o mores, o tempora!' Tullius olim, 6
sacrilegum strueret cum Catilina nefas.

ego vero quidni exclamem: 'o caelum, o terra, o hominem vere sacrile- 7
10 gum!' ceterum mente paulisper sedata experiamur, quaeso, nunquid
causae pro augusto philosophiae principe possit dici, nunquid forte
Laurentius e suae mordacitatis valle verum velut Democriti e puteo
eruerit. existimavi equidem, viri clarissimi, meas esse partis Aristotelis **2,** 1
gloriam vel capitis periculo defensare, tametsi ipse quidem sua divinitate
15 procul extra ingeniorum aleam est constitutus, non obnoxius iniuriae,
non ictibus obgannientium. neque vero vobis metuendum reor, *pulsu* 2
dignoscere cautis, quid solidum crepet, quidque viperae in more evitandum.
verum enixe danda est opera ne sub Laurentii qualiquali auctoritate
adulescentuli rerum imperiti periclitentur, neve eos, ut est verborum
20 funditator maximus, pelliceat in errorem. cuius verba e labiis solis
Thersitis more eructata forte quispiam miretur; pectus vero nemo non
contemnat, quatenus videlicet philosophiam sordidis manibus contrectat.
paulo itaque altius repetentes consideremus, quaeso, quanam industria, 3
quo studio, labore, vigiliis antelucanis vespertinisque lucubrationibus,
25 qua dexteritate hanc sibi Aristoteles gloriam vendicavit ut a nobis solus
fere legi dignus censeatur. quod dum orationis luce exprimam, vos oro, 4
viri clarissimi, ut tantisper mihi detis operam; ego vicissim et compendio
studebo et non indigna neque iniucunda auditu quaeve vestrae aures
respuant afferre conabor.

30 Primum quidem quod Aristoteles ab adulescentia et tenellae aetatis **3,** 1
flore Socratem, qui philosophiae parens et fuit et dictus est, annos tris
audierit, quodque deinde Platonem illum divinum hominem ac humanum
deum viginti perpetuos annos sectatus fuerit, vulgatius est quam ut sit
ambitiose commemorandum. age vero, sub Platonis magisterio nunquid 2
35 erat velut unus quivis ex numerosa auditorum classe, nunquid in ordinem

§ 5 cf. Verg. Aen. III 39 eloquar an sileam?*; Hor. Sat. II 3, 132–136* demens ... Orestes ... eum ... insanisse ... actum Furiis ...*; cf. etiam infra Or. IV 5, 6, 4* || *§ 6 Mart. IX 70, 1–2* || *§ 7 cf. Cic. Acad. Pr. II 32* naturam accusa, quae in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit*; cf. etiam infra Or. III 1, 5* || **2** *§ 2 Pers. 5, 24–25; de Thersite protervo cf. Ovid. Met. XIII 233* || **3** *§§ 1–4 vide Adnotationes de Gualtero Burleio*

4 Horeste **H**

redactus, supra quem ceteri nihil praestabat? minime hercle! quin potius plurima extant Platonis non obscura testimonia de hominis industria [Civr] 3 ingeniique | acrimonia. omnes codices, omnes philosophantium familias et schedas, omnes quamvis numerosos voluminum acervos ita evolvit et iterum atque iterum perlegit relegitque ut, cum eum Plato officii gratia 5
4 inviseret, 'eamus', inquit sectatoribus, 'ad domum lectoris'. alio rursus die, cum in Academiam Plato suo more disputaturus convenisset sensissetque Aristotelem non interesse, clara voce proclamavit: 'abest intellectus', quasi ceteri, quotquot erant, ad ipsum collati hebetudinis nebula saepti, mentis aciem haberent caligantem, neque esset eorum 10 quispiam, qui Platonica oracula (erant enim oracula) caperet. paucis post diebus, cum idem forte contigisset, 'non adest', inquit Plato, 'philosophus
5 veritatis'. tertio denique Plato catervam perlustrans vidit Aristotelem desiderari, et ingemiscens 'surdum est', inquit, 'auditorium', quasi mentis surditate reliqui omnes laborarent, quasi stupidae statuae essent et auri- 15 bus male prorsus perpurgatis. rara profecto laus et omni saeculo admiranda virtutum praeconia, et tanto quidem maiora, quanto a viro laudatiore
4, 1 profecta. quid contra hiscis, Laurenti? Platonem colis ac veneraris, nec immerito. sed is Aristotelem veluti Phoenicem suorum auditorum omnibus anteponit. aut ita se res habet, et mendax es; aut contra, et a Platone 20
2 desciscis. porro autem Cicero ille tuus quidnam tandem sensit de Aristotele? nunquid in ordinem redegit, an potius prima in acie antesignanum ac imperatorem eum collocavit? certe sic de eo in Oratore: *sed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel iudicandis*
3 *acrior Aristotele fuit?* idem Cicero eum aureum eloquentiae flumen fundere 25 testatur, eum philosophorum principem intrepide appellat. et ad Trebatium *minime*, inquit, *sum admiratus eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis praeter admodum paucos ignoretur. quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus his, quae ab illo dictae sunt et inventae, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam* 30
4 *cum copia, tum suavitate*. huic sententiae Quintilianus item tuus suum calculum adiicit; quem sine controversia omnibus ingeniis censes praestare et in quo nihil unquam errati deprehenderis, cum anxie ac multum,
5 ut ais, scrutatus fueris. quo in loco miror quo fato quave divina sorte

§ 5 cf. Cic. Tusc. IV 67 (*e Naevio*) laetus sum laudari me abs te, pater, a laudato viro*; Sen. Epist. 102, 16* laudari a laudato viro || 4 *§ 2 Cic. Or. 172* || *§ 3 Cic. Acad. Pr. II 119* veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles*; Fin. V 7* Aristoteles, quem excepto Platone haud scio an recte dixerim principem philosophorum*; Top.* (ad Trebatium) *I 3*

19 phenicem **H** || **23** oratione **H** Oratore *scripsi ad errorem tollendum, qui a typographo commissus esse videtur e compendio male intellecto. nam* ore 'oratore', oro 'oratio' *contrahit*

tuos hamos evaserit. sed is ipse vir utique maximus ac rhetorum diligentissimus, audi, audi quid tandem de Aristotele sentiat, quam ferat sententiam: *Aristotelem*, inquit, *quem dubito scientia rerum an scriptorum copia an eloquendi suavitate an inventionum acumine an varietate operum*
5 *clariorem putem*. sed et Plinius, | rerum naturae scriptor sane luculentissi- [Civ'] 6
mus, *Aristoteles*, inquit, *diversa tradit, vir quem in his magna sequuturus in parte praefandum reor*. ergone Plinius ab Aristotele mutuatus est, ne dicam mendicavit, quae de leonibus ac omnino de animalium natura tradidit? Aristotelis auctoritatem citaturus sine honoris praefatione id
10 facere veretur, ipsum tam vere quam simpliciter et ingenue summum in omni scientia virum appellitans. postremo divus Hieronymus, antistes 7
nostrae religionis ac omnigena vel scientia vel eloquentia veluti suffarcinatus, Aristotelem dubio procul prodigium grandeque miraculum in tota fuisse natura testatur, et cui paene videatur infusum quicquid naturaliter
15 capiat humanum genus.

Praetereo ceteros varia doctrina viros cum veteres tum neotericos, **5**, 1
qui certatim omnes pro sese quisque sedulo divinum hominem meritis laudibus sunt persequuti. et ecce tandem aliquando serus calumniator Laurentius e sua valle sed mala vallatus ratione emersit, qui veluti nostri
20 temporis Aristarchus contra philosophorum deum blateraret eumque, proh nefas, suggillaret! sed vulgatum est: baubantes catulos generosus 2
leo contemptim praeterit. sed quorsum testes in unum cogimus, in re praesertim meridiano sole clariore? philosophorum sectae fuerunt Athenis multiiugae ac tam variae ut non parvi fuerit negotii omnes vel enu-
25 merare ab auctoribus vel aliunde nomen veluti hereditarium possidentes. verum enimvero quaenam principatum obtinuit? quaenam longe lateque 3
veluti regina ditionem propagavit? quaenam est in pretio ac celebratur omnium doctorum calculis comprobata? nimirum Aristotelica! hanc Graeci, Latini, Hebraei, Arabes, breviter et qui occidentem solem despec-
30 tant et qui orientem suscipiunt haeresim Aristotelicam praedicant, sectantur, colunt, adorant. et quotus quisque, obsecro, Platonis sectator 4
usquam delitescit? de quo tamen vulgatum est illud: ne Iovem quidem, si inter homines viveret, digniore felicioreque posse facundia uti quam Platonica. hunc tamen Aristotelicus sol exortus ita suo fulgore obscuravit
35 ac tenebrescere fecit ut vix a studiosis delibetur atque a limine, uti dicitur, salutetur, cum interim Aristoteles apud omnes laudetur, vigeat, placeat,

§ 5 Quint. X 1, 83 || *§ 6 Plin. N. H. VIII 44* || *§ 7 Hieronymus ubi hoc de Aristotele dixerit plane ignoro* || **5** *§ 1 cf. H. Walther, Proverbia sententiaeque Latinitatis medii aevi, t. 2: F – M, Gottingae 1964, n° 10266* generosus equus non curat canum latratus || *§ 4 cf. Quint. X 1, 81* quis dubitet Platonem esse praecipuum . . . eloquendi facultate divina quadam; *Sen. Epist. 49, 6* a limine salutanda

29 Hebrei **H** || **30** heresim **H**

5 relegatur, ametur. celebratur apud scriptores Zenonis Parmenidisque et denique Chrysippi logica, qua et Iovem usurum fuisse aiunt. legimus Democriti ac Leucippi plurimorumque de rerum natura traditiones. et ecce, Aristotelicus fulgor in orbem irradians universum illud stellularum | [Cv^r] agmen caelo expulit, ita ut nihil illi dixisse videantur, quod non illa 5
6, 1 dixerint quae Aristoteles. summus itaque, o Laurenti, philosophus Aristoteles. ecquis praeter unum te negat? sophus hic est et veluti Achilles Herculesve inter heroes, ut tibi invidia vel ilia dirumpantur,
2 ut tete excrucies, ut excarnifices! non potes ferre indignum facinus, 'monosophe' ut cum philosophum dicimus, unum Aristotelem velimus 10 intelligi. atqui hoc nomen neutiquam a nobis aut nostri saeculi hominibus est profectum, sed multis retro saeculis ab Alexandro illo Aphrodisaeo, qui sub Antonio Severoque imperatoribus tam feliciter Aristotelicam philosophiam ac Lycium restauravit ut mirum in modum celebris evaserit ac nominatissima, usque adeo ut nemo philosophi nomine dignus 15
3 censeretur, qui non idem et Alexandreus esset. inter quos praecellentes ad posteritatem pervenere Themistius, Ammonius, Simplicius, Philoponus, Olympiodorus aliique permulti, viri summo ingenio ac prorsus Attici. horum auctoritatem Laurentio veluti molem oppono; qui ob hoc unum clari sunt habiti, quod Aristotelis placita ac decreta pulchre 20
4 callerent. atqui, inquiet Laurentius (id quod in praefatione reprehensionis plena scribit), *non dedit iis rebus* Aristoteles *operam, unde praestantes viri maxime dignoscuntur: aut consiliis publicis, aut ministrandis provinciis, aut exercitui ductando . . . aut responsis consultorum, aut scribundis historiis, aut poematibus componendis . . . non denique alienae linguae discendae,* 25
5 *ac ne suae quidem ita multum.* hic vero haesitabimus in luto? nihil mutibimus contra? minime, per Iovem! quin expedi primum, Laurenti: hoc videlicet dicis? quod non omnibus his operam dedit, nae tu nobiscum sentis, sed vitiose ac perperam colligis eum ob id non esse clarum virum, cum eiusmodi omnibus perfunctum neminem prorsus nominare possis. 30
6 ecquo in ludo didicisti, praeclare veritatis magister, philosophi officium esse ut exercitum ducat, ut poemata componat, et alia quae numerasti? haec Plato tuus omnia peregit videlicet! o nugatorem ineptientem! tametsi quis haec magis omnia quam Aristoteles factitavit? cuius consilio et commentariis de animi magnitudine, rerum intellegentia, modera- 35
[Cv^v] tione, fortitudine Alexander ille magnus | instructus tam incredibilia

§ 5 cf. Diog. Laert. VII 180 de diis dialectica Chrysippea utentibus || **6** *§ 1 cf. Verg. Buc. 7, 26* invidia rumpantur ut ilia Codro || *§ 2 vide Adnotationes* || *§ 4 L. Valla, Repast. Dial., Prooem. 11–12 (ed. G. Zippel, Patavii 1982, I, 5–6)* non enim iis rebus operam dedit . . . administrandis . . .

3 Leusyppi **H** || **21. 22** repraehensitionis ploena **H** (*cf. p. 24, 22* repraehensiones) || **23** *melius videtur scribere cum Valla (cf. fontes)* administrandis

perpetravit ac confecit. id quod nolim mihi credi, sed Plutarcho viro nimirum veraci ac prudentissimo, qui in libello de virtute vel fortuna Alexandri *his*, inquit, *rebus eum philosophia ad hanc obeundam expeditionem instruxerat*, et subnectit: *profecto ab Aristotele praeceptore plusculum quam a Philippo patre habens potiendarum rerum instrumentum transiit in Persas*. quidnam ergo? nonne rerum ab Alexandro gestarum gloria ad Aristotelem pertinebit?

Postremo, ut finem aliquem faciam, tametsi plurima sint praeterea dicenda, tolerare non potest Laurentius pudendum, ut ait, morem, quod quicunque hac tempestate philosophiae sacris initiantur, unicum habent Aristotelem sacrorum antistitem, cum philosophis semper liberum fuerit quaevis disputare ac sectari, illud Horatii approbantibus:

> *nullius addictus iurare in verba magistri,*
> *quo me cunque ferat tempestas, deferar hospes.*

hac vero fabellula ei satis facimus: vulpes enim et leaena de generositate concertabant, et tandem illa: 'tu', inquit, 'unicum dumtaxat paris'. haec respondit: 'sed leonem!' non secus et nos unum quidem probamus, sed Aristotelem. alias familias agnoscimus, sed in unam asscripti sumus. alioqui quid futurum est denique? inter tot philosophantium pugnas ac digladiationes, in tanta opinionum discrepantia, si non eadem signa observemus, si non sub uno aliquo imperatore stipendia faciamus, quid, inquam, futurum est? si medio in mari sectarum fluctuantes nusquam in portum naviculam iam quassam flectere possimus? haec signa, hic imperator, hic denique portus unus nobis est Aristoteles. praestat utique familiares esse usquam, quam ubivis gentium hospitari. malumus ad littora periculorum securi ludere quam tempestate, ut sic dicam, Horatiana huc atque illuc iactari. nobis quem sequamur, quid agamus certum ac praefinitum est, ac proinde nullo id negotio, iuxta Ennium, actitamus. studemus ibi mentemque et animum oblectamus nostrum. vos contra ubique auctorum peregrini et adventicii nusquam sedem habetis ullam. itis huc, hinc illuc; cum illuc ventum est, ire illinc lubet. incerte vester errat animus. *nusquam est*, inquit ille, *qui ubique est*. paria sunt omnia tentare et nihil agere. hospites vos quidem multos, amicitias autem habetis vel paucas vel nullas. in Porticum divertitis, in Acade-

§ 7 Plut. Mor. 327 E–F (De virt. Alex. I 4). vide et Adnotationes || *7 § 1 L. Valla Prooem. 16 (ed. Zippel 7)* pudet referre apud quosdam esse morem initiandi discipulos et iureiurando adigendi, numquam se Aristoteli repugnaturos; *Hor. Epist. I 1, 14–15* . . . rapit tempestas . . . || *§ 2 Corpus fabularum Aesop. 167 (Hausrath) = 240 (Halm). vide et Adnotationes* || *§ 4 cf. versus Horat. laudatos in 7, 1* || *§ 5 Ennius (Scaen. 236–237 Vahlen) apud Aulum Gellium XIX 10, 12* nam cui quod agat institutum est, non ullo negotio / id agit, id studet, ibi mentem atque animum delectat suum || *§ 6 Sen. Epist. 2, 2*

[Cvi^r] miam, in Lyceum, sed quocunque | devenistis, modica procella et captionis aestus alio vos raptat.

8, 1 Haec dixerim, ingenui adulescentes, contra eorum malesanam sententiam, qui nostrum institutum a patribus usque ad nos transmissum et inconsiderate damnant et petulanter irrident, quod scilicet Aristoteli 5 devincti neminem aut praeferamus aut aequemus illi, quod eius decretis atque placitis tirones nostros, philosophiae candidatos, astringamus; 2 quod quam consulto fiat iam elucidavimus. vos igitur, adulescentes, Aristotelici alumni, hunc generosum leonem, hunc philosophorum Achillem ac deum, hunc omniscium ac secretissimarum rerum promum, 10 quem totus mundus longe lateque colit sectaturque, quem omnes Academiae, omnes scholae, omnia pulpita resonant, ex cuius fonte iugi ac inexhausta scientiarum scaturigine erumpente sacri, profani, Christiani, gentiles, theologi, medici suos canales inundant, cuius denique laudes nemo mortalium aequaverit, quantovis eloquentiae torrente scaturiat, 15 quantavis beata ac copiosa utatur facundia, hunc, inquam, tam supra homines hominem amate, suscipite, colite, cum tot praeclaris disciplinarum proceribus veneramini, contra vanos oblatrantium canum (canes enim sunt) morsus defendite, contra cynicos baubatus ab ipso state! 3 quodsi id per aetatem nondum vos quidem potestis, saltem (quod utique 20 potestis) aculeata vituperonum fulmina aut devorate aut praeter aures contemptim sinite fluitare. Laurentii Vallensis maledicas reprehensiones 4 unguibus discerpite, obelis iugulate! ferat ille suae mordacitatis praemium, ut et Plutonis familiaris ac mortuus etiamnum moriatur, qui alioqui absolutissimis Elegantiarum libris multo ingenii acumine, ut 25 ingenue loquamur, concinnatis, qui illis (inquam) victurus erat donec

freta destituent nudos in littore pisces,

si ab Aristotele nostro, a nemine absque honoris praefatione nominando, petulantem abstinuisset calamum. sed citius ardentem flammam ore continuisset, quam id sibi imperasset. dixi. 30

8 § 4 Verg. Buc. 1, 60

10. 11 promun: quae **H** promum, quem *scripsi, quia* quae, *cum ad solum* rerum *referri potest, sensu caret*

III

1

Amplissimo Patri Menardo Viro, abbati Hecmundensi, Martinus Dorpius salutem.

Amici aliquot mei, et hi complures sane ac eruditi, identidem me cohortati sunt ut lucubrationum mearum editionem aliquando maturarem, quas ipsi suo quidem calculo ut ederentur dignas censuissent. qui posteaquam iterum atque iterum reluctantem fascibus etiam litterarum impulissent, nullus mihi visus est, Pater ornatissime, cui hae studiorum meorum primitiae iustius debeant consecrari quam tibi, quo scilicet tam singulari fretus patrono divinae legis militiae totus sim inauguratus, serias ei lucernas iam soli impendens, quas pridem philosophicis poeticisque litteris mihi a puero impense blandis concesseram totas. amabile profecto est (quis negat?) sacrarum litterarum studium, sed quod tamen uti plurimum eget, ita perpaucos, ne dicam nullos, habeat patronos, praesertim tui similes, qui iuxta parati sint beneficium impendere atque polliceri. enimvero quotus quisque est ex omni primatum globo, qui non assentatorem, aut equisonem, aut denique coquum cuivis praeferat theologo vel ab unguiculis noctes atque dies legem Dei meditanti, si cui velit seu sacerdotium seu dominici gregis curam committere? quod utinam non tam vere dixerim, quam esse verum experietur, quicumque periculum fecerit. esto sane aliquis vel Augustino acutior, esto vel Hieronymo eloquentior, ceterum pauper: circumspiciat, ambiat unum quemlibet, supplex oret opem; ne vivam, si non vacuus discedat vel, ut bellissime cum eo agatur, plenus promissis, verbo tenus, factis procul, et quae, ubi postulaverit res, interim evanuerint.

Proinde magna laus tua, praestantissime Pater, qui non illud arbitraris abbatem esse, ruri in | principali arce deliciari, mulos atque equos deserto Christi grege pascere, coenobii saepta *cane peius et angui* odisse, quicquid est voluptatis ventri atque genio dicare, monachos procul e sublimi despicere tamque raro in conspectum admittere, ut solo nutu dignari plane sit beare; haec, inquam, a vulgo abbatum recepta, a moribus tuis perquam aliena detestatus, uti es omnino, ita erga doctos Maecenatem, erga tuos patrem agis, et quidem pientissimum, illis plurima, quatenus licet, tibi nihil indulgens. consurgunt media nocte sancti fratres ad

§ 4 Hor. Epist. I 17, 30

4 maturarem V maturem L^2 || 5 ederentur . . . censuissent V edantur . . . censuere L^2 || 20 Augustiuo V || 27 cepta V saepta *scripsi*

confitendum Domino super iustitiae eius iudicia; at tu non secus atque unus quivis de grege, ita primus es in acie divinae militiae, nisi si quando publica negotia alio te vocent. versaris inter tuos nullo vestium discrimine, nullo supercilio, nulla pompa, maxima familiaritate. quotquot Dei ministros sancta religione copulasti, eos communi itidem mensa atque 5 epulis tibi aequas, nisi hospitibus undelibet affluentibus vacare necessum sit; quos ea semper popularitate accipis ut lavandis omnium manibus 6 aquam ipse profundas, sive plebei sint illi sive magnates. felix profecto coenobium istud, non dico, quod tam opulentum, tam magnificum, tam vetustum ut Hollandiae principatui vix antiquitate cedat, sed quod te 10 utatur patre vigilantissimo, qui Benedictinae religionis legitimus heres, administrandae istius dignitatis dicam an servitutis (nam fratrum tuorum servum te scribis) formam ab ipso divo videaris veluti per manus acce- 7 pisse. felix item inclyta Hollandia tam numeroso sanctorum patrum coetu, cui et Christianae fidei incunabula et religionis incrementa refert 15 accepta. siquidem (vestri docent Annales), cum regionis nostrae, ut ita vocem, apostoli nusquam tutas haberent sedes, grassante videlicet idololatrarum saevitia, tandem istuc appulsi *terra*, inquiebant, *haec munda*, quod inibi unius verique Dei sinceros cultores invenirent, atque 8 inde nomen hoc per posteros ad nos usque transmissum. huic tam in- 20 Aii^v signi mo|nasterio, tali loco, tot Deo dicatis viris, non principum nutu, non armatis, quas vocant, precibus, sed unis tuorum suffragiis, nihil tale ne somnians quidem praefectus es, luculento videlicet virtutum tuarum argumento.

9 Ergo, cum doctus ipse, ipse optimus, doctos atque bonos omnes ames 25 faciasque plurimi, cum Hollandicae religionis primas atque fastigium, tamen primatem (quae rara est modestia) minime agas, cum tam nobilis coenobii abbas idem sis unicus mearum vigiliarum Maecenas, idem sis omnium artium patronus, cuius (obsecro) nomine auspicatius disciplinarum laudes publicum affectent quam tuo? sine quo nec hae ipsae 30 10 laudes erant futurae. tu siquidem unus amplo sacerdotio otium mihi ad studia tranquillum suppeditasti, tu me scholaribus tumultibus eripuisti, tu sacrae theologiae mancipasti. proinde merito ingratissimus videar, nisi quantum in litteris profecero, quicquid composuero, quicquid edidero (edam autem posthac compluscula, ceciderit modo feliciter prima 35 haec alea), nisi denique et me et mea omnia tibi uni deberi ingenue profitear.

11 Vale. Lovanii, ex Gymnasio Lilianorum, tertio Nonas Octobres.

§ 5 cf. Ps. 91, 2 bonum est confiteri Domino; *118, 7* confitebor tibi ... in eo quod didici iudicia iustitiae tuae || *§ 7 cf. Adnotationes* || *§ 8 cf. Sen. Ben. IV 37, 2* non sufficit homo iustus tot armatis cupiditatibus. – armatae preces *non videtur dictum esse ab auctore antiquo*

2

ORATIO IN LAVDEM OMNIVM ARTIVM

De disciplinarum praestantia uberrimoque fructu dicturus nescio quo **1,** 1
vel fato vel meo genio maiore quam soleo rei pondere premor. multa
occurrunt animo, quae negotium faciant, multa difficultatem alioqui
5 magnam augent. quae si vigilanter perpendatis, patres praestantissimi,
nihil dubito quin et patienter me sitis audituri, et boni aequique dicenda
consuletis. primum, quid esse potest quod auditorum gratiam animosque 2
efficacius conciliet quam rei, de qua dicturus sis, novitas? quod scilicet
eiusmodi sit quae paene alio ore sit indicta. sagax hercle fuit tragoedia-
10 rum actor Theodorus, qui nec modestis histrionibus unquam concedere
voluit ut ante se agerent, quod prima quaeque maxime delectare persua-
sus erat. neque enim raro fit ut novitate commendante pessima pro 3
optimis perplaceant et, quae verborum compositioni gratia desit, eam
novitas cumulate afferat. contra nihil tam praestans est aut iucundum, de
15 quo semper audire iuvet. interrogatus nescioquis quid audiens oblectare-
tur, 'laudes', inquit, 'meas'. atqui neminem mortalium crediderim tam
avidum esse laudis, cui vel suam semper eandem audire laudem gratum
fuerit. hanc vero placendi ansam mihi praereptam esse nemo vestrum 4
non | animadvertit, viri praeclarissimi. nam quae, obsecro, novitas ea in Aiii^v^
20 re videri possit, quae toties ab eruditissimis undecunque viris excussa,
laudata, decantata sit? nihil tam reconditum abstrusumve vel in Demo- 5
critico veritatis puteo latuit, quod tam clara ingenia non eruerint, poli-
verint, summa facundia vestris doctissimis auribus commendaverint.
iam vero quidnam aliud penitius animos penetrat audientium, quid inti- 6
25 mos pectorum recessus commovet acrius quam suspicienda minimeque
trivialis orantis auctoritas? 'non eadem', inquit Aristoteles, 'videntur
iudicibus cum diligunt et cum oderunt'. quin immo *quae minime sunt* 7
pulchra, ea pulchra videntur amanti. quocirca non inconsulto apud Euri-
pidem Hecuba Ulyssem orat ut suam populo causam ipse persuadeat

30 *si* (inquiens) *vel mala haec auctoritas dicat tua,*

tamen

flectet, quod a levibus profecta oratio
et existimatis non idem valet eadem.

§ 2 cf. Arist. Polit. VII 15, 10 (1336b) || *§ 3* nescioquis *est Themistocles. cf. Cic. Arch. 20; Val. Max. VIII 14 ext. 1* || *§ 5 Cic. Acad. pr. II 32, cf. etiam supra Or. II 1, 7* || *§ 6 Arist. Rhet. II 1, 4 (1377b)* || *§ 7* quae ... pulchra] *vide Adnotationes; Eurip. Hec. 293–295, quem Dorpius laudat secundum versionem Erasmianam, vv. 324–326; cf. Erasmi Opera Omnia I 1, Amstelodami 1969, 235 (ed. J. H. Waszink)*

9 *ma* Aristote. / 7 politic. || **18** ausam V ansam *scripsi* || **26** *ma* l. rhetori|corum. 1. || **27** *ma* Prover. || **29** *ma* In Hecu|ba

8 hac videlicet de causa monet Aristoteles ne quis sententias dicat nisi aetate provectus neve de rebus, quarum usum non habuerit. nam qui
9 contra fecerit, eum ineptum indoctumque visum iri. ego vero quam sim nulla praeditus auctoritate quia nemo nescit, nolo latius prosequi ne extenuando curiosius videar, quod subinde fit, extollere velle, modo id 5 unum intelligatis omnes utraque me commodissima ad persuadendum
10 semita semel esse exclusum, si ex mea persona sit dicendum. ceterum nihil
Aiiii^r metuo ne vel novita|tis gratia vel quantaevis pondus auctoritatis meae desit orationi, si cuius persona ad dicendum venerim pressius perspexeritis, nempe totius venerandae Artium Facultatis, quae tanti fit a vobis 10 quanti ea debet, cuius lacte omnes ferme in istam doctrinarum gloriam succrevistis. illius ergo vice, illius iussu sigillatim prosequar quae singularum artium praeclara munera noverim, idque lucido quoad possum ac
11 simplici sermone. *veritatis* quippe *simplex est oratio*. deinde subnectam quas hic locus omnibus nobis commoditates, quanta hoc Gymnasium 15 rectis studiis subsidia ministret. postremo omnes studiosorum ordines aetatesque Facultatis nomine suaviter cohortabor ut, cum omnia ubertim Dominus Deus suppeditaverit, ne desint ipsi sibi. quae dum facio, vos quaeso, humanissimi viri, patienter auscultate et audiendi alacritate dicentem, uti soletis, adiuvate. 20

2, 1 Sed unde commodius initium sumam quam a qua pueri quoque auspicamur, nempe a Grammatica? ea mundior iam, ornatior, decentior, venustior emersit, non illatinis vocibus lacera, non perplexa scribiligine
2 involuta, non situ carieque verborum obsita. haec profecto hoc uno peculiariter suoque iure gloriari potest quod parens sit et altrix omnium 25 doctrinarum, quod sine suo adminiculo, sine suo fundamento fideliter iacto frustra quicquam ullis in artibus tentaveris, de qua vero verius est
Aiiii^v quod | Fabius ait eam multo plus operis habere in recessu quam fronte
3 prima ostendat. enimvero quanti negotii est singularum vocularum vim, usum, proprietatem intelligere, quo in loco quaenam ut rite quadret sit 30 accommodanda, quae item contra non graphice, non suo loco adhibita totum contextum vitiet ac foedet, quibus characteribus quaeque scribenda, quae aspiranda, quae diphthongo vel addita vel negata non
4 eodem modo efferenda, quo sono, quo oris habitu, quo linguae inflexu

§ 8 cf. Arist. Polit. VII 8, 3–4 (1329a) || *§ 10 Sen. Epist. 49, 12* nam ut ait ille tragicus (*Eurip. Phoen. 469*) veritatis simplex oratio est. *cf. Walter 33158e* veritatis oratio simplex; *Erasmi Adagia I iii 88* || **2** *§ 2 Quint. I 4, 2* plus habet in recessu quam fronte prima promittit

1 *ma* l. rhetori|corum. 1 || 14 *ma* Prover. || 21 *ma* Grammati. || 26 doctriuarum **V** || 28 *ma* Quintili | li. 1 de in|stitutione ora. || 29 qnanti **V** || 33 dyphthongo **V**

quaeque enuntianda. infinitarum prope dictionum (quantum enim 4
abest?) significantiam, originem quasique progeniem novisse, et non
haec solum, sed et syllabarum accentus, quantitates et quaslibet minuties
complecti, quibus vel Mithridatis memoria impar videri possit. adde iis
5 poetarum, oratorum, historicorum atque adeo omnis notae auctorum
enarrationem. hoc enim veteres tradunt grammatici munus esse ut omne
genus auctores et ipse probe intelligat et aliis luculenter explanet,
breviter ut de omnibus censuram dicat et omnino Aristarchum quendam
agat. age vero, nostra tempestate nimio plus operae flagitat quod hac- 5
10 tenus omnes chartas foeda barbaries obsederit, quod passim rusticanus
sermo uti gangraena serpserit quodque eam ob rem haud facile evelli ac
extirpari queat radix illa ineptae loquutionis, quae tam alte tot annorum
curriculis in maioribus nostris haesit, apud quos impoliti inelegantesque
auctores tam firmum re|gnum possederunt ut vix tandem eliminari [Av^r]
15 possint et in perpetuum exilium agi. quid autem? annon summo acerri- 6
moque iudicio opus est, quo Gothicas dictiones a Latinis et Romana
moneta percussis secernamus, illas scilicet in Scythiam et barbarorum
sedem relegantes, has vero Latii iure donatas in nostram familiam asci-
scentes, quando et apud nos hae Italicae opes mire luxuriant et Latinae
20 segetes affatim succrescunt? porro huc accedunt domesticae confabula- 7
tiones, quas cultissimas docere, quas suaves ac nulla ineptiarum labe
infectas facere grammatici sunt partes. eiusdem est epistolarum stilum 8
teretem, tornatum, graphicum cudere ut fluxu leni fluitantem nulla
asperitas remoretur, ut apertus, ut familiaris sit, quo dulces amicos
25 absentes praesentes facimus, quoties animi curas litterarum eis angustia
instrepimus, iocosa, seria, risum, dolorem et quaecumque usu veniunt
communicamus et ante absentium oculos statuimus. colligimus ergo 9
iusto calculo alias quidem artes aliis esse vel iucundas vel utiles, gramma-
ticam vero (teste divi Augustini confessione) omnibus ordinibus, omni
30 aetati, omni sexui necessariam ut nec aqua, quod aiunt, et igni aut
saepius aut pluribus in rebus utamur.

Huic cognata est et soror individuaque comes Dialectica, quam Ari- **3,** 1
stoteles noster primus Logicam vocavit. haec a grammaticae lacte

§ 9 verba, ut affert Dorpius, non sunt in Augustino. fortasse in mente habebat librum II de doctrina Christiana vel etiam Soliloq. II 19 (xi) || **3** *§ 1 cf. Boeth. In Topica Cic. commentaria I (Migne, PL 64, 1045 B)* Plato etiam dialecticam vocat facultatem, quae id quod unum est possit in plura partiri . . . Aristoteles vero logicam vocat, quam, ut dictum est, Cicero definivit diligentem disserendi rationem

4 Mitridatis V | *ma* Mitrida|tes. 22. na|tionibus | sua cuique | lingua ius | dicebat. || **5** hystoricorum V || **8** *ma* Aristarchus || **11** gangrena V || **17** Scytiam V || **32** *ma* dialectica

depulsos et, ut ita dixerim, ablactatos in suum gremium excipit, solidiori
[Av^{v}] 2 iam cibo nutri|endos. haec ita instituit, ita format animum, ita ingenii
aciem extenuat ut minutissima argutiarum retia, ut Protagorae Chrysip-
pique captiones evitet, ut imposturas evadat, expedita impediat et
impedita invicem expediat, clara obscuret, tenebrosa elucidet et omnino 5
3 Proteum quendam varie sese mutando repraesentet. haec, quinque
vocibus agnitis, docere pergit qua in serie generum quaelibet suam sibi
sedem occupet, qui ex illis proloquia enuntiemus, qui syllogismos ex-
pedite arguteque tum nectamus, tum solvamus, qui apodixes firma
verissimorum principiorum basi consolidemus, qui demum enthymemata 10
suis in locis ac sedibus cursu rotato (ut ille loquitur) torqueamus et
postremo technas, laqueos, tendiculas sophistarum vel Vulcaniis telis
subtiliores lynceis oculis persentiscamus minimeque illis avicularum more
4 irretiamur. eadem haec tanquam digito rei cuiusque substantiam indicat,
quidnam cum quo conveniat, quidnam cum quo discrepet, quidnam in 15
quas partes dissecari queat, quod verum cui falso adversetur, cui item
vero congruat ut, quod noster ille pollicetur, prompti paratique simus de
omni proposito ex similibus vero rationari et in disputationis palaestra
certantes tela undecunque contorta impenetrabili scuto excipientes ne
unguem quidem latum extra veritatis orbitam aberremus, hoc est ut nos 20
ipsi disputationem sustinentes nihil fateamur sive absurdum sive repu-
[Avi^{r}] 5 gnans. una quippe dialecti|ca Lydius ille lapis est, non quo purum sub-
aeratumque aurum, sed quo in omni scriptorum genere verum dinoscas
a falso. hoc vero quam sit praeclarum et disciplinarum usui non dico
accommodum, sed prorsus necessarium, et ante me plerique docte ac 25
eloquenter peroraverunt et ego itidem semel atque iterum qualiquali
dictionis luce disserui, ostendens non philosophis solum, theologis ac
medicis, sed iureconsultis quoque nimis quam conducibile logicam exacte
6 callere. hac enim armatura cincti confidentes in militiam inque pugnam
litterariam proficiscimur. hoc umbone iacula repellimus, hoc arcu 30
sagittas certissimas et nusquam a scopo declinantes eiaculamur. hac
lancea garrulos sophistas traiicimus, confodimus, humi prosternimus.
hac machina impetum eorum, quamvis vociferationibus vehementem,
frangimus, exercitum dissipamus et, ut semel dicam, Dialectica tota

§ 3 cf. Iuv. Sat. 6, 449–450 . . . curvum sermone rotato / torqueat enthymema. *de Vulcani telis seu laqueis,* quae lumina fallere possent, *cf. Ov. Met. IV 176–179; Ars II 577–578; Erasmi Adagia II viii 72 (LB 656 B–D)* || *§ 4 Arist. Top. 100a 18–24*

3 rhetia, ut Prothagorae Crysippique **V** || 6 *ma* Proteus in varias spe|cies sese | mutabat || 10 enthimemata **V** || 11 *ma* Iuvenal. || 12 taelis **V** || 17 *ma* Aristote. | l. thopico. || 18 rationari **V** *fortasse legendum est* ratiocinari. *confusio orta esse videtur inter verbum antiquum 'ratiocinari' et medioaevale 'rationare'* | dispu|ationis palestra **V** || 19 taela **V** || 22 *ma* Prover. || 26 eloqueter **V**

militiae speciem habet. siquidem argumentari quid est aliud quam 7
proeliari? rationum globos in respondentem iacere quid est? nonne urbem
oppugnare? rursus quale videtur disputationem sustinere? nimirum
quale obsidione cingi. et argumentorum vim elidere an est aliud quam
5 hostem a veritatis muro arcere ac urbem propugnare? quodsi qui hac in 8
harena sic versentur ut amici inter se veritatis eruendae gratia, non
hostili animo concertent, horum multo potior est conditio quam pro-
fanorum militum. nam qui vincitur, lucrum facit discendo; qui
vincit, ipse quidem victoriae corona potitur et eadem opera amicum e
10 tenebris ignorantiae in lumen scientiae, ab hostili vallo in sapientiae
castra perducit. o prae|claram hanc Dialecticae militiam, in qua una [Avi^v] 9
fieri nequit, modo ne simus maligni ac protervi, fieri (inquam) non potest,
quocunque se Fortuna inclinet, quocunque versatilis et anceps alea
cadat, ut ullam faciamus iacturam.

15 Sed hanc pulcherrimam disciplinam ab Aristotele mundissime excultam 10
quidam scioli et argutiarum fabri (quanquam non Stapulenses) tam
indigne contaminant, tot sentibus, tot spinetis dilacerant, tot vilium
sophismatum siliquis ac faecibus distendunt ut videatur ex olida extre-
maque latrina emersisse, ut nihil serium, nihil utile, nihil denique, ut
20 verbo dicam uno omnia, Aristotelicum in ea appareat. miseret me sortis 11
eorum, qui tam bonas horas tam male collocant ut mundam, compositam,
exquisitam Dialecticam suis ineptiis, nugis, deliriis totam oppleant.
quanto, per Iovem, praestaret nihil prorsus agere ac inerti otio torpescere,
Endymionisque et Epimenidis exemplo totam aetatem stertere quam
25 his tricis animum occupatum affligere. quorsum, quaeso, per deos 12
immortales, carros illos librorum ad nos transmittunt meras sordes
exhalantium? et o si publico Academiae nostrae decreto vel in Franciam,
unde venerunt, relegarentur vel, quod malim, Vulcano epularum loco
obiicerentur, uti memoriae mandatum legimus sophismatum Chrysippi
30 acervos publico Atheniensium edicto exustos fuisse. censuerunt enim 13
prudentes viri, utpote Areopagitae, insanas illas cavillorum meditationes
et de lana caprina, bone | Deus, quam acres digladiationes pestem, [Avii^r]
perniciem ac cladem esse adulescentium, fieri ut illis aetatem transigant,
illis consenescant, illis immoriantur semper pueri, semper rixosi, nun-
35 quam digna viris assequantur et ad rem publicam tam evadant idonei
quam veteres ad lora canes, id quod divinus Plato in Gorgia neutiquam

§ 13 Hor. Epist. I 18, 15 rixantur de lana saepe caprina*; cf. Walther 2936* (*vide et 20328*) colla canum veterum nequeunt attingere lora*; Plato Gorgias 502d–503d*

4 obsidioni **V** obsidione *scripsi* || **15** *ma* Contra so|phistas || **24** Endimionis **V** | *ma* Endimion | pastor a lu|na amatus | et in Lath|mo monte | sopitus | Epime-ni|des dormi|ebat annis | 57. || **29** Chrisippi **V** || **36** *ma* Prover.

14 subticuit. non subticuit Pythagoras, qui tales hirundines praecepit ne in tecta recipiamus. et quae (malum) insania est illorum perferre regnum, qui multa mercede latrare quidem, sed nihil scire docent, qui post longa studia ad alphabetum relabuntur ut non dialectici, multo minus Aristotelici, sed (ut verbo utar divi Hieronymi) bis abecedarii 5
15 aptissime dici tum possint, tum debeant. atqui non vacat mihi hodie plena velificatione in homines illos, immo vero hominum deliria invehi, sed illi rei suum locum aliudque tempus destino. quamobrem pergere certum est.

4, 1 Et ecce offert sese Grammaticae Logicaeque velut tertia quaedam 10 soror Rhetorica, quae cum illis unam eloquentiae progeniem facit. grammatica praestat ut emendata sine sordibus, sine barbarie conspicua niteat oratio; dialectica ut probabilis suo pondere suisque nervis fulta; demum rhetorica quasi domina ac princeps duabus innixa ultimam
2 manum absolutae orationis imponit. haec est illa toties cantata heroina, 15 quae nos in domesticis umbraculis Grammaticae Logicaeque feriatos in [Avii^{v}] regum ac populorum, in magistratuum doctorumque aspectum pro|ducit ut coram illis non pannosi, sed purpura et augusta veste amicti summa
3 cum dignitate peroremus. haec est amplissima illa regina, quae regibus ac primatibus dominatur, quae animorum dux est et imperatrix, quae 20 sua vi, sua efficacia ac energia stupidos mortales quovis impellit. si haec bellum suadet, quis resistere, quis refragari queat? si otium, pacem, quietem bellorum furiis anteponit, quis non suadenti obtemperet? quis tam sui iuris est ut non vel parum aequa lege cum hostibus transigat?
4 haec gubernacula urbium — sed quid urbes dico? — quin immo regnorum 25 possidet. haec sontes in suam poenam pertrahit, insontes a furioso tyranni gladio protegit. haec irruentem contra magistratus plebem velut
5 apprehensa dextera pacat, impetum, tumultum, rebellionem sedat. haec milites proeliorum formidine praesentique mortis metu trepidantes non aliter quam classico concitat et in hostes leoninis animis prosilire con- 30 volareque facit. haec glorias triumphosque ex victoria eventuros ante militum oculos ut in tabella proponit et contra ignominiam, ludibrium, infamiam, quae victos comitantur, quasi praesentia mentibus suggerit, ad illa volentes nolentes inflammat, haec detestatur et fugienda vel
6 capitis periculo persuadet. haec principes maiorum titulis ac nomine 35

§ 14 Diog. Laert. VIII 17 inter dicta Pythagorae; abecedarius *vocem esse Hieronymianam dixit secutus Petrum Crinitum, De honesta disciplina, Florentiae 1504 (dein Parisiis apud Badium Ascensium 1510, 1513 . . .), XVI 8* (*ed. C. Angeleri, Romae 1955, 332*)

5 Hieronimi V | *ma* Sophiste | abeceda|rii || **10** *ma* Rhetori. || **15** orationis V *scribere malim* orationi || **20** animorum V aninimorum L[2] || **35** at V ac *scripsi*

suum decorum sustinere impellit. haec obscuros ac terrae filios quique
patriam nequeant monstrare parentis ad regale solium aspirare cogit.
breviter, quoties doctus ac vehe|mens orator sua vi ac armatura nixus [Aviii r] 7
omnes eloquentiae nervos intendit, furere, ardere, tonare omnia credas;
5 adeo nihil est quod Pitho illa flexanima, quod eloquentiae torrens ac
beata facundia non possit efficere. verum ut haec tam ardua praestet 8
orator, dii deaeque, quantae sunt ei comparandae orandi divitiae, quam
ampla verborum suppellex, quanta fluentis vocis luxuries, quis oceanus
facundiae, quae veneres, qui lepores, quae facetiae! rursus quae gravitas,
10 dignitas, maiestas! quam remota disciplinarum penetralia sunt excutienda! nosse oportet animi cuiusque naturam ac propensionem, observare 9
locum et, quod primum est omnium rerum, tempus, ne quid importune,
ne quid praepostere ac perperam dicatur, ne plus quam satis sit gestire
videatur, ne voce vel languida muliebrique neve contra tonante stentoreaque utatur, ne ibi exclamet ubi nihil sit opus, ibi mussitet ubi exclama-
15 tione dignum inciderit. huius est negotiorum qualitates ac conditiones 10
perpendere. huic populorum animi huc atque illuc flectendi et modo leni
susurro demulcendi, modo vasta voce perterrefaciendi. huic opus est
omnes historias omnium aetatum omnisque memoriae res gestas, prae-
20 clara sive regum sive populorum sive urbium facinora, infanda eorum
scelera semel memoria complecti, quid in qua familia turpe ac maiorum
titulis indignum perpetratum, qui e converso maiorum gloriam vel
aequaverint vel superaverint, qui ex obscuris nobiles, qui ex nobilibus
evaserint obscuri. propter haec utique tam est sublime | Rhetoricae [Aviii v] 11
25 fastigium ut qui orator omnibus numeris absolutus fuerit ex omni vetustate rarus sit inventus. verissime dixit Marcus Cicero, cum eadem
tempestate frequenter multi simul fuerint poetae, *vix singulis saeculis
binos fuisse oratores*. quotquot autem perfecti fuerunt, grande nomen,
conspicuam dignitatem, amplas divitias ubique sunt adepti et mira atque
30 adeo incredunda non aliis quam eloquentiae viribus effecerunt. nonne **5, 1**
Marcus Antonius, orator ille locupletissimus, milites in suum caput
coniuratos, suum sanguinem aestuante ira sitientes, ita sermonis placa-

§ 6 terrae filius *passim legitur (cf. Otto, Sprichwörter, s. v. Terra; Erasmi Adagia I viii 86 [LB II 328 E–F–329 A–C]): Cic. Att. I 13, 4; Fam. VII 9, 3; Pers. 6, 57–60 etc.; apud recentiores habet Ioa. Murmellius, Enchiridion Scholasticorum (ed. A. Bömer, 1892) V 1, 22; cf. etiam infra 25, 4; Iuv. 8, 45* quorum nemo queat patriam monstrare parentis || *§ 7* Pitho] *cf. Pacuv. apud Cic. De Or. II 187* flexanima atque omnium regina rerum oratio; *cf. et infra 18, 2* || *§ 11 Cic. Brutus 333* nonne cernimus vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? || **5** *§ 1 cf. Valer. Max. VIII 9, 2*

1 *ma* Prover. || **5** Pytho **V** *significat Πειθώ, non Πύθων* || **10** excutieda **V** || **15** ubi[1] **V** ibi **L**[2] || **27** *ma* De claris | oratoribus | li. 4 ad fi. || **31** *ma* Marcus | Antonins

bilitate mitigavit ut mucrones in eius iugulum districtos attoniti quasique
2 extra sese positi reconderent? Gorgias item Leontinus, cum a patria
bellorum faces aversurus Athenas concessisset, nonne tam incredibili est
usus eloquentiae apparatu, nonne tam vehementi doctae orationis
stupore doctas affecit Athenas ut disserenti noctis bonam partem impen- 5
3 derent, toto die non satiati, non fastidio correpti? iam vero Pericles tanta
dicendi violentia invasit Athenienses ut eos veluti parvo digitulo quovis
versaret, dictus ab Aristophane fulgurare, tonare, cuncta loquendo
4 perturbare ac miscere. sed mirificissimum est quod Hegesia oratore vitae
humanae calamitates copiosissime deplorante, multi mortem sibi con- 10
sciverint conscivissentque quotquot audiebant, nisi Ptolomaeus rei
5 novitate ac periculo perculsus scholas claudi iussisset. sed quid moramur |
Bi^r Marcum Tullium in hunc catalogum producere, qui Achilles est oratorum,
dicendi lex et regula, eloquentiae pater? cui adulescenti Graecam eandem-
que extemporalem orationem dicenti cum omnes manibus pedibusque 15
applauderent, omnes laudibus in caelum ferrent, ibi Apollonius Molo,
rhetorum sui temporis celeberrimus, primum admirabundus, mox illa-
chrimatus, 'ego vero', inquit, 'te, Cicero, cum laudo, tum admiror. sed
Graecorum fortunam doleo, quod eloquentiae ornamenta, quae nobis
6 sola restabant, ea per te Romanis, ut video, arrogantur.' hac Cicero 20
consulatum impetravit; hac Catilinae furorem restinxit; hac Antonium
proscripsit; hac immortale nomen, famam ac decus conquisivit. taceo
quot innocentes homines in Orci familia propemodum asscriptos e
7 Cerberi faucibus uti alter Hercules eripuit. taceo quod Ligarium contra
Caesaris decretum, quod amicis ille dixerat, orationis flagrantia libera- 25
verit, quod Caesaris vultum variis coloribus transmutaverit, quod libellos
e manibus sola verborum vi citra contactum excusserit ut tandem Iulius
6, 1 exclamaret: 'vim, amici, patimur!' postremo, ut de neotericis quoque
nonnihil, quis ex omni vetustate Aeneae Silvio comparandus ei, qui
postea Pius Secundus in pontificatu est dictus? is Scotorum regem ac 30
populum, gentem ab omni Italica et humanitate et lingua alienam, contra
Anglorum regem Pontificis auctoritate arma bellumque assumere im-
Bi^v 2 pulit. is Argentinam, | Constantiam, Francfordiam, Tridentum, Sabau-
diam Concilii potestati ut subscriberent persuasit. Tergestinos rebelles
ad Frederici clarissimi Caesaris, nostri principis proavi, imperium re- 35

§ 2 Diod. Sic. XII 53 || *§ 3 Cic. Or. 29* Pericles . . . ab Aristophane poeta (*cf. Acharn. 530 sqq.*) fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus est . . . || *§ 4 cf. Cic. Tusc. I 83; Valer. Max. VIII 9 ext. 3* || *§ 5 Plut. Cic. 4, 5* || *§ 7 Plut. Cic. 39, 5–6* || **6** *§§ 1 sqq. vide Adnotationes*

2 *ma* Gorgias | leontinus || 6 *ma* Pericles || 9 Egesia **V** | *ma* Mirum de | Egesia || 11 Ptholomeus **V** || 13 cathalogum **V** | *ma* Marcus Tullius || 16 Appollonius **V** || 29 *ma* Eneas Sil|vius praecla|rus orator | Eneae **V** || 30 Scothorum **V**

duxit. Eugenium Pontificem Caesari conciliavit. factus eodem tempore 3
secretarius Concilii duorum de pontificatu contendentium et imperatoris
discordiam inter Germaniae antistites excitatam moxque arsuram
restinxit. Aeneas Frederico Elionoram Lusitanam, puellam vix nubilem 4
5 ideoque grandaevum aspernantem, uxorem impetravit. eidem imperii
coronam affectanti Pontificem, principes, civitates adversantes una
omnes flexit viamque per loca prius hostilia quasi manu stravit. erant in 5
armis Pannonii ut Ladislaum Frederici tutelae subriperent. missus
Aeneas, etsi minis primum contumeliisque exceptus, mox tamen ubi
10 suavissima vox auribus insonuisset ab omnibus obtinuit ut arma ponerent,
Caesariis finibus excederent, Ladislaum Frederici suaeque curae ad
dicentis arbitrium committerent. Austrios Frederici cervicibus imminentes 6
compescuit. breviter, quoties imperatori incidissent negotia cum
Pontificibus, regibus, principibus, populis, rebus publicis, hostibus, sociis,
15 ea solus Aeneas obivit. factus episcopus, mox cardinalis, paulo post cui
serviverat imperavit triplici corona decoratus. sed quibus artibus, qua 7
potentia, quo ambitu, quo principum populorumve favore tam ardua
confecit, tam alta est conse|cutus? nimirum una fretus eloquentia, quae Bii^r
sola mortalibus regina est. quis belli dux multis retro saeculis ingenti
20 exercitu tot populos domuit, quot Aeneas eloquentia vicit? porro Ioannes 8
Antonius Campanus nonne oratione, quam Perusiae eodem quo nunc
ego argumento et Kalendis item Octobribus dixit, plurimis excussit
lachrimas? nonne adulescentes, cum ab eo ad eloquentiae studia excitarentur,
visi sunt inter dicendum prosilire ut ingens toto die strepitus,
25 fremitus, tumultus de Campano in urbe esset, ut quoquo iret praetereuntium
digitis monstraretur dicentium: 'hic ille est Campanus!' Rodolphus 9
Agricola ille, Frisiorum atque adeo universae Germaniae decus, Ferrariae
consimili et ipse argumento orationem habuit. sed quo eum audiret Hercules
Estensis, Ferrariae dux, belli gloria clarissimus, e principali solio descendens
30 inter auditores assedit perinde atque unus quivis e vulgari turba.
sic nostris quoque saeculis alicubi oratoribus suus honor tribuitur.

Proinde vos, o studiosa cohors, appello ut eloquentiae studia consectemini, **7, 1**
quo maioris notae scientiis sint ornamento, suum illis lumen ac
decus afferant. Academiae nostrae gloriam adamate, quae celeberrima
35 dubio procul est et habetur. alii sacrae Theologiae sublimitate praepollent; 2
alii Iuris utriusque varia cognitione praecellunt; alii Medicinae
miracula exacte callent; alii philosophicis scientiis sunt probe | instituti. Bii^v
cur, obsecro, eloquentia his non accedit, unde tam praeclarae artes 3

§ 7 cf. Eurip. Hec. 816 (interpr. Erasmi 855) suadela, quae mortalibus / regina sola est

4, 9, 15, 20 Eneas **V** || **20** *ma* Joannes|Campanus || **26** *ma* Rodolphus|Agricola ||
27 Phrysiorum **V** || **29** Aestensis **V** || **33** *ma* Cohorta|tio ad stu|dia eloquen|tie

suam velut faciem ac vestem mutuentur? neque ego, viri clarissimi, de umbra loquor eloquentiae, quae philologia dicitur, garrula, obstrepera, verborum dumtaxat funditatrix maxima, nulla habens sententiarum fulcimina, nullum rationum pondus, nullos nervos, nullum inventionis ingenium, qualem logodaedali sectantur qui postquam decem voculas 5 non omnibus usitatas e putribus chartis vel mutilo saxo eruerint, non aliter gestiunt ac triumphant quam si Gallias subegissent. tunc sese Solones putant, tunc quicquid voculis illis non est aspersum, id inelegans 4 seque indignum arbitrantur. hos equidem in eorum ordinem refero, quos bis abecedarios dixi, nempe sophistarum. utrorum siquidem vanior, 10 inutilior, adde perniciosior sit conatus non ausim definire.

8, 1 Secundum Rhetoricam mathematicae artes consequuntur, quas Latine disciplinares recte dixerimus, quod verae certissimaeque, ut et 2 Aristoteles testatur, sint disciplinae. harum Arithmeticam Pythagoras a Phoenicibus accepit inque formam et faciem artis primus composuit. 15 cuius fuere discipuli eius in tantum studiosi ut, quoties sancto iureiurando 3 quippiam astruere vellent, quaternarium iurarent. haec unitatem contemplatur, omnium numerorum seminarium. versatur circa numeros: pares, impares; pariter pares, impariter pares; per se incompositos, per Biiii^r se compositos; planos, | solidos; circulares, triangulares, quadratos, 20 4 cubicos, perfectos perfectisque maiores. his accedunt proportiones multiplices, submultiplices et quaecunque ad numerorum rationem pertinent, immo vero quaecunque tres reliquae mathematicae praevia supponunt. nam arithmeticae tanquam firmae basi innituntur. quamobrem Plato reipublicae praefectos accurate monuit ut in hac pueros institui curarent. 25

9, 1 Huic cognata et de eodem, ut dicitur, oleo est Musica, ut quae numerum et ipsa, sed sonorum illum meditatur. hanc Pythagoras quoque ex malle-

7 *§ 3 cf. Erasmus Laus Stult. 49 (ed. Cl. H. Miller, Erasmi Opera Omnia IV 3, 1979, 138, 260–264):* . . . quoties istorum (*scil. grammaticorum*) aliquis . . . voculam vulgo incognitam in putri quapiam charta deprehenderit . . . aut si quis vetusti saxi fragmentum mutilis notatum litteris alicubi effoderit, o Iupiter, quae tum exultatio, qui triumphi, quae encomia, perinde quasi vel Africam devicerint vel Babylonas ceperint! || *§ 4 vide supra 3, 14* abecedarii || 8 *§ 1 cf. Boeth. Trin. 2* in mathematicis disciplinaliter . . . versari oportebit *(cf. Thes. Linguae Latinae s. v.); Arist. Metaph. 1026a 7; 1064a 31* || *§ 2 Arist. Metaph. 985b 23–24; Aristoxenus apud Stobaeum I 20, 1; de Phoenicibus cf. Porphyr. Vita Pythag. 6 (auctor Dorpio ignotus; unde sumpserit notitiam de Pythagora non liquet); de quaternario iureiurando vide Plut. Mor. 381 F–382 A (De Iside et Os.); Luc. Philopatr. 12, etc.* || *§§ 3–4 de numeris vide i. a. Boethium Inst. arithm. I 6–12; II 4; ars geom. (ed. Friedlein, Lipsiae 1867), 395, 12–16; Mart. Cap. VII 748–760; Isid. Orig. III 5–6* || *§ 4 Plato Rep. VII 525 B; 526 C* || **9** *§ 1 Cic. Att. XIII 38, 1* de eodem oleo et opera exaravi . . .*; de Pythagora vide Macrob. Comm. Scip. II 1, 9–13; Boeth. Mus. I 10*

1–2 *ma* in eos qui | loquentiam se|ctentur, non elo|quentiam || 5 logodedali **V** || 14 *ma* Arithme|tica || 15 Phenicibus **V** || 26 *ma* Musica | Prover.

orum ictibus eorumque inter sese proportione fertur invenisse. haec 2
considerat tonum, hemitonium, tropos, symphonias, diatessaron,
diapente inquam et diapason. haec metrorum tempora modosque
argutissime moderatur. haec omnia instrumentorum genera chromatico 3
5 et harmonico sive diatonico accuratissime discriminat. haec Cretenses
cithara, Lacedaemones lyra, Amazones calamis, Lydos tibiis in proelia
educit, apta videlicet

aere ciere viros Martemque accendere cantu.

huius artis incredibili suavitate David Saulis vexationes mitigavit et 4
10 spiritum ab eo malignum arcuit. huius symphonia Xenocrates lymphati-
cos compescuit et curavit. hac Timotheus musicus Alexandrum regem 5
usque adeo in furorem egit cantus vehementia ut in optimos quosque
strictum exereret gladium inque eorum vitam debaccharetur. eundem
rursus tam molli lenique suavitate demulsit ut men|te sedata agno mitior Biii^v
15 videretur. haec efferatos homines componit, tristitiae nubila discutit, 6
lassitudinem refocillat.

haec reparat vires fessaque membra levat.

quo minus mirum quod Aristoteles tam gravis seriusque philosophus eam
ingenuis magnanimisque percipiendam discendamque scripserit.

20 Iam vero Geometria quantitates continuas immobilesque, pondera, **10, 1**
mensuras, liniamenta, intervalla, formas, globos, solida, plana, sinuosa
complectitur. huius est docere positionem terrae, ambitum, longitudinem,
divisionem, climata. haec lineares ductus, flexus circulares, triangulares
anfractus ad rectam normam deducit. haec figuras novit: triangulum, 2
25 tetragonum, polygonium, planares, solidas, sphaericas, ovales, lenticu-
lares, columnares, pyramidales, cylindricas, cubicas et quamcumque aliae
figurae faciem habent. haec montium cacumina, vallium profunda, 3
caelum, terram, maria metitur. haec Rhenum, Istrum, Araxem, Euphra-

§ 2 Mart. Cap. IX 930 (tonus, hemitonium), *933–935* (tropus, symphonia, diatessaron), *950* (diatessaron, diapente, diapason) || *§ 3 Mart. Cap. IX 955* genera modulandi sunt tria: *ἁρμονία, χρῶμα, διάτονον; cf. Vitruv. V 4, 3; Mart. Cap. IX 925* (Cret., Lac., Amaz.) *et 928* (Lydos)*; cf. Aulus Gell. I 11, 1 et 6–7; Verg. Aen. VI 165* || *§ 4 1 Sam. 16, 23* (David)*; Mart. Cap. IX 926* Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat || *§ 5 Suda s. v. Τιμόθεος* || *§ 6 Ov. Her. 4, 90 (var.* levat / novat)*; Arist. Polit. VIII 5, 9 (1340b 9)* || **10** *§§ 1sqq. vide Adnotationes* || *§ 3 cf. Iust. Epitome Hist. Phil. II 10, 24* (Xerxes) quaedam maria pontibus sternebat*; de Nilo cf. Isid. Orig. III 10, 1, de Pado Plin. N. H. 3, 119–120; de Gynda vide Adnotationes*

2 simphonias **V** | diatesseron **V** || **4,5** cromatico & Armonico **V** || **6** cythara, Lacedemones lyra, Amasones **V** || **9** *ma* David Sa|ulem musi|ca mitiga|vit || **10** Zenocrates **V** | *ma* Zenocra|tes lym|phaticos|cantu compe|scuit || **11** *ma* Thimote|us Alexan|drum cantu | versabat: || **17** *ma* Ovidius || **18** *ma* Politico|rum. 8 || **20** *ma* Geome. || **25** sphericas **V** || **26** piramidales **V** | chilindricas **V**

tem, quin et vastissima maria pontibus stravit, Nilum corrivavit, Padum coercuit, Gynden Assyriorum fluvium in quadraginta sex alveos divisit. 4 huius opera sunt altissimae turres, crassi muri, annosa vetustaque moenia, templorum sumptuosa structura, regiarum palatiorumque artificia et visenda spectacula, omniaque bellissimae architecturae miracula.

11, 1 Harum postrema et quasi umbilicus Astronomia animum per praedicta divagatum tandem terris valedicere iubet ac sublimibus caeli regionibus [Biv^r] infert, ubi | perspiciat sphaeras, sphaerarum motus ac orbes, eccentricos hos, illos concentricos, polos, axes, circulos, tot varia virtute stellas, tam varios planetarum meatus, ortus, obitus, solis lunaeque labores, ceteros planetas umbrarum deliquiique expertes, lunam uno mense septiformem: corniculatam, mediluniam, dimidiata maiorem, lumine plenam, ac totidem decrescentis formas; solis sine epicyclio rectum sub ecliptica 2 rapidissimumque motum. astronomia profecto tanta certitudine caelorum spatia mensa est quanta vix ea, quae coram sunt, metiri possimus. ostendit haec quanto temporis curriculo sit opus ut hoc cum illo sidus coeat, quam ineffabili celeritate supremum illud, *quod tegit omnia caelum*, circumvolitet suoque, ut ita dicam, marte circumlatum inferiores orbes 3 spontanea quadam vi veluti manu iniecta secum corripiat. haec eclipses longe ante quam eveniant vaticinatur, marium fluviorumque incrementa decrementaque quibus horis (quid horis dico?) immo quibus momentis sint futura praedicit. praedicit item quo tempore quod membrum aut noxium sit aut salutare incidere ferro, quo minuendus sanguis, quando efficaces sint futurae potiones, quando perniciosae, quando arandum, 4 serendum, plantandum, metendum. haec quamvis scioli quidam rideant, tamen res ipsa reclamat et quotidiana docet experientia esse veriora veris. alioqui quid est quod luna accedente abeunteque aqua itidem fluit ac refluit? quid quod luna pleno orbe caelum pervagante medullae cerebella- [Biv^v] 5 que animantium copiosa sunt? | unde fit ut, quo vehementius est gelu et frigoris adustio maior, eo caeli facies puris ac limpidis stellarum lampadibus clarius rutilet? an non halone lunam cingente certi mortalibus imminent venti? nonne anno vernis floribus repubescente omnis corporum humor augescit? nonne pestifer autumnus vel maxime flanti- 6 bus austris morborum est parens? sed haec commemorasse satis sit contra eorum malesanam sententiam, qui astronomiam totam semel explodunt quatenus praenotiones sibi ullas vendicat. neque tamen credendum putem magicis illis ominibus, quaecunque divinaculi pollicentur,

11 *§ 2 Ov. Met. I 5* || *§ 5 cf. Aul. Gell. XX 8, 3–6?* || *§ 6 Accius apud Aul. Gell. XIV 1, 34*

7 *ma* Astronomia || 9 spheras, spherarum V || 14 epyciclio . . . sub eclyptica V || 20 eclypses V || 38 omnibus V ominibus *scripsi* | *ma* Ex Gellio

qui verbis aures divitant alienas, suas ut auro locupletent domos. quibus divitias pollicentur, ab his drachmam petunt, facete dixit, quisquis fuit . . . nomen non teneo. *ab illis divitiis drachmam deducant, reddant cetera.* hae ergo quatuor mathematicae disciplinae priscis saeculis celebres satisque honoratae fuerunt. suis auctoribus illustre nomen ac decus pepererunt et fuit hercle immensus labor ac ingens industria eas invenire, si tamen humana solertia ac non potius divino oraculo sint monstratae. nunc autem *auri sacra fames* regnum possidet et omnia sui iuris facit, neque ulla disciplina est in pretio, quae non aurum illud beatum pariat ideoque mathematicae disciplinae a plerisque omnibus nominantur, non discuntur.

Proinde his valere iussis ad Physicam orationis cursum flectamus, quae profecto scientia est una om|nium multo iucundissima nec minus varia quam ipsa rerum natura. haec abdita totius mundi miracula rimatur, haec omnia quantumvis recondita explicat. nihil est in terrae gremio tam imum ac abstrusum, nihil in aereo tractu tam minutum aut volaticum, nihil in caelo tam sublime, quod non physicorum cura et oculatissima industria, quatenus ad suam messem pertinet, velut in proscenio spectandum exhibuit. nulla usquam contingit res tam stupenda, nihil tam rarum atque insuetum, cuius non optimas congruentissimasque causas depromit. haec una certissime nullo erroris velamine perdocet undenam horrida ventorum vis ingruat, qui arbores eradicent, turres deiiciant, equites currusque totos avehant, quanta fulminum miracula, quibus in terris vel cadant vel non cadant, quibus rebus sint innoxia, quas ad internicionem feriant, unde horridus ille tonitruorum fragor, quae causa, quis auctor; quae item causa, quis auctor motuum hiatuumque terrae, quae signa, quae portenta, quibus prostratis moenibus urbes etiam totae et nonnumquam multae absorbeantur evibrato igne, eiectis calidis amnibus, facto ingenti sono. investigat physica qua ratione aestus marini accedant moxque recedant, cumque supra littora vel octogenis cubitis, quod in Britannia fit, intumescant, non tamen supereffluant; unde, qua causa mari salsus sapor incoquitur, unde summa aequoris aqua dulcior profunda. scrutatur physica qui | fiat ut pluant lapides, ranae, terra, lac, sanguis; qui fiant, ubi fiant, quo maxime tempore, quibus regionibus pluviae, grandines, rores, nebulae, pruinae et quaecunque sub lunae complexu igneae apparent et rutilae vibrationes. commonstrat physica

§ 7 Ennius apud Cic. Div. I 132. utrumque locum, Accianum et Ennianum, laudat Petrarca Rer. Memor. III 46, 18–19 || *§ 9 Verg. Aen. III 57;* regnum possidere *Vulgatae sermonem sapit: cf. Paul. 1 Cor. 6, 9* regnum Dei non possidebunt || **12** *§ 3 vide Adnotationes*

8 omna **V** || **18** *ma* Prover. || **22** readicent **V** || **27** prostraris **V**

cur plures subinde soles pavidis mortalibus appareant, cur circa lunam, solem, sed et circa stellas, quamquam rarius, temporariae videantur coronae, qua ratione caelestis arcus tot pulchris coloribus variegatus fugientes insequatur, accedentes refugiat, cum descendentibus declinet, cum attollentibus sese ascendat, qui fiat ut nonnumquam tractus quidam 5 quasi tentoriorum cordae a sole deorsum ad terram usque procurrant. 7 physica causas aperit minacium cometarum, quae modo comatae sint rutilum spargentes vertice crinem, modo barbatae, modo cauda terribiles. aperit causam eadem lacteae viae. aperit causam erumpentium e cavernis fontium ac per hos fluviorum, quorum hi sint dulces, illi salsi, 10 8 hi ferventes, illi frigoribus rigeant, alii sint sulphurei. haec miracula naturae, has vicissitudines, haec prodigia nonne amoenissimum est et libero animo dignissimum scrutari ac discere?

13, 1 Physicae germana est Medicina, ars una, quotquot sunt, rebus humanis apprime necessaria, salus videlicet praesidiumque mortalium, cuius 15 uberrimae laudes ob incredibilem eruditionis copiam suam sibi orationem seorsum expostulant. nunc pauca pro tem|pore peregrinantis, non (Cii^r) 2 habitantis more decerpam. haec itaque usque adeo singularia, stupenda ac paene dixerim incredunda suo ambitu complectitur ut, si aliae pleraeque artes, multo potius haec suam originem diis immortalibus referat 20 acceptam. huius decreta ac sacramenta tam portentosa sunt prodigiorumque simillima ut nisi certa experientia sensibus nostris exhiberentur, 3 omnem fidem excluderent. eadem rursus tam aperte, tam dilucide experimentis edocentur ut vel indissolubili ratione adversante verissima tamen non credi nequeant. et, o quicquid est superûm, quis usque adeo 25 inexhaustus fuit labor, quae tanta ingenii vis et perspicacia, quae tam fida pertinaxque innumerabilium rerum memoria ut huius artis mysteria 4 complecti potuerit, nedum primitus invenire? medici hercle nullos labores quantumvis arduos refugerunt. tellurem communem parentem evisceraverunt perque eius, ut sic dicam, intestina sunt pervagati. 30 montes lapidosos ligonibus effoderunt, in extimas mundi partes profecti sunt, in maria penitissima sese demerserunt. omnia denique elementa summa vigilantia et aquilinis oculis perlustrarunt, unde metalla, lapides, herbas, frutices, surculos, radices, flosculos, fructus, grana eruerent, quae miseris et morbo afflictis mortalibus salutarem suppeditarent medelam. 35 5 avium, piscium, reptilium, breviter omnium animantium, quae vel in terrae gremio hospitantur | vel in maris vastitate fluviorumque alveis (Cii^v)

§ 7 rutilum spargentes vertice crinem *pars est versus hexametri, qui antiquus esse non videtur. cf. tamen Ciris 281* purpureum patris dempsissem vertice crinem, *itemque v. 122* || **13** *§ 2 vide Adnotationes*

14 *ma* Medici

degunt vel super terram ludunt vel in aere fugacia volitant, horum in-
quam omnium naturam vimque medendi medici exploravere compertam-
que habent. nihil hercle, *nihil intentatum nostri liquere* non dico *poetae*, 6
ut Horatius, sed vitae auctores medici, vitae dico auctores, siquidem *non*
5 *est vivere, sed valere vita*. nihil, rursus dico, intactum reliquerunt vel
minutissimarum abiectissimarumque rerum. omnium vim scrutati sunt; 7
omnia quantumvis vilia damnata iamque nulla conferre ad medelam
ostenderunt. carbunculum genus morbi querneus carbo cum melle sanat.
cinis lixivii potus medetur luxatis. funiculus, quo serpens nescioquis sit
10 strangulatus, efficax est sanandae anginae. sed quis, o deus bone, haec 8
primum tentavit? cui in mentem venire potuit ut tam ab usu hominum
aliena curandis morbis applicaret? nullus paene cinis est, nullum fimum,
ne humanum quidem et caninum, nullum venenum, pilus, cutis, siliqua,
radix, spina, lana, pulvis, nervus, vermiculus, saliva, nullum folium,
15 cortex, liquor, succus, nullae diversissimarum rerum confecturae, quae
non a medicis sint ad morbos curandos idoneae repertae. spuma, scoria, 9
squama sive auri sive argenti sive plumbi, aerugo, ferrugo, creta, calx,
gypsum quam multis morbis medentur, quam saepe sunt usui, quanti
pretii, alioqui spreta! quid vilius, taetrius, perniciosius veneno? atqui sine 10
20 isto | theriaca optimum medicamentum perierit. et venena, cum per se cııʳ
quaeque sint letalia, mixta tamen pleraque pharmaca fiunt. o miram
inventionem, o divina ingenia, quae haec mortalibus ad salutem pro-
diderunt et ad felicitatem! qui enim valetudinarius est, eum non esse
simul felicem auctor est Aristoteles. propter hanc autem tam multiplicem 11
25 ac densam rerum in medicina discendarum silvam nemo, quantolibet
ingenii acumine praepolleat, potest ipsius esse capax, nisi indefesso
studio, incredibili vigilantia, praeviis etiam liberalibus disciplinis, vim
animi tanquam in cote assidue et pertinaciter acuat. alioqui quibus 12
sudoribus opus sit, quod Sisyphi saxum volvendum, per quae librorum,
30 ut ita dixerim, latifundia, per quos tenebrarum anfractus penetrandum,
id ii demum norunt qui ea in palaestra strennue quasi cum Antaeo sunt
luctati. hi, inquam, norunt auctorum scripta tam esse obscura ut Hera-
clitica videantur, verborum structuram ita confusaneam, ita asperitate
lectores remorantem ut Delio quopiam aut Sibylla opus fuerit, quae prope

§ 6 Hor. a. p. 285; Mart. VI 70, 15 || *§ 7 Plin. N. H. 36, 202–203. unde funiculi praeceptum sumpserit Dorpius parum liquet* || *§ 10 de theriaca sive medicamento adversus venena cf. Plin. N. H. 20, 264 e. a.; Aristot. Rhet. I 5, 14–22 (1360b)* || *§ 12 cf. Cic. Div. II 133* valde Heraclitus obscurus

4 *ma* Marcialis || **8** *ma* Plinius || **12** cur audis **V** curandis *scripsi* || **17** cerrugo . . . falx **V** ferrugo . . . calx *scripsi* || **24** *ma* l. rhetori|corum. ca|pite quinto || **29** Sysiphi **V** || **31** palestra **V** | Antheo **V** || **34** Sybilla **V**

13 inenodabilia possit enodare. neque enim decuit illa mystica oracula ac vaticinia profanorum pedibus spargere et, quod dicitur, margaritas porcis ac sanctum canibus. quod prospicienter oppido Romani perpendentes in Aesculapii templo draconem locaverunt, animal scilicet unum omnium vigilantissimum, tacite insinuantes quantam perspicaciam, quos mentis 5
Ciii[v] 14 simul et corporis | oculos, quam prorsus lynceos medicina requirat. eiusdem Aesculapii manum stipite nodoso atque aspero sceptri vice insigniverunt ut ancipitem ostenderent et nodis plenam medicinae traditionem. nulli credo, solares radii ita praestringunt oculorum aciem, ita cogunt caligare et obtenebrescere uti mentis atque ingenii simul et memoriae vis 10 fatiscit sublimitate et densa rerum suppellectile, circa quas medicina
15 negotiatur. sed quis tandem fructus ex hac tam profunda abysso expectatur? nimirum sanitas, res omnibus votis expetenda, neque corporis duntaxat sanitas, verum et animae. sunt enim anima et corpus res adeo cognatae mutuoque nexu haerentes ut hoc dolorum aculeis cruciato illa 15 suum officium rite peragere nequeat. philosophorum quoque sententia est corpore male affecto ipsam etiam animam obstupescere.

14, 1 Medicinam, quae naturalis scientiae coronis est, Metaphysica ordine sequitur; latine transnaturalis vocatur. quae inter humanas artes homi-
2 num cura elaboratas principatum obtinet. haec hominis animum per 20 omnia mundi latibula, ut ostendimus, pervagatum sursum subducit atque terrenae faecis illuvie contempta in supernis illis sedibus liberum
3 inambulare permittit. ibi entis ipsius, quatenus ens est, substantiam ac totum ambitum simul rimatur, ibi purissimas beatissimasque illas mentes
Ciiii[r] a mortalitatis lege procul se|motas contemplatur et olim earum sibi 25 contubernium sperans interim castis et sanctis cogitationibus sese illis
4 commendat devovetque. huius scientiae, immo verius sapientiae cultores non philosophi modo aut sophi, sed primi et ultramundani sapientes iure appellantur, arcanorum caelestium secretarii, immortalium spirituum meditatione socii, a vilibus his caducorum molibus et terrae inerti pon- 30 dere non minus alieni quam ipsae beatae animae, quibuscum ipsorum perpetua, perdia et pernox est consuetudo.

15, 1 Sub hanc in medium prodit alia philosophiae pars et multorum sententia dignior universis hucusque laudatis et mortalium usui haud secus

§§ 13–14 Festus De verb. signif. (ed. C. O. Mueller, 1839), p. 67, 13; 110, 14–19 s. v. Insula in insula Aesculapio facta aedes fuit . . . eiusdem esse tutelae draconem, quod vigilantissimum sit animal . . . bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis || *§ 15 cf. Cic. Fin. I 55; Lucr. III 168–174; 463–468 etc.* || **14** *§ 3 cf. Aristot. Metaph. 1003a 21* || **15** *§ 1 cf. Cic. Fat. 1*

2 *ma* Prover. || 4 et 7 Esculapii **V** || 12 abisso **V** || 16 philosohorum **V** || 18 *ma* Metaphi|sica || 33 *ma* Moralis | philoso.

conducibilis quam quae maxime. hanc Graeci Ethicen, nos Moralem 2
dicimus. hanc plerique prudentes viri et summa sapientia praediti solam
censuere dignam, in quam ingenui animi cura impendatur. cetera dicunt
esse vel pro oblectamentis et animi duntaxat gratia vel non nisi perituri
5 corporis curam agere, ad bene beateque ex rationis praescripto vivendum
perparum, ne dicam nihil conducere. haec una palantes initio mortales 3
ac ferarum more in silvis, in lustris, in specubus vitam immitem degentes
sine cultioris animi institutis, sine mansuetis probatisque moribus, nives,
grandines, pluvias, *ventos tempestatesque sonoras* foliis ac bestiarum pelli-
10 bus non tam arcentes quam tolerantes, eiusmodi dico homines mansuete
| suaviterque composuit, rectum politicae vitae ordinem monstravit, Ciiii^v
humanitatem, comitatem, benignitatem, affabilitatem, amicitiam,
individuam vitae societatem, religionem erga deos, erga parentes pieta-
tem, erga omnes iustitiam ceterarumque hominis virtutum agmen uni-
15 versum invexit. domos primum, deinde pagos, mox etiam urbes, post- 4
remo solida regna arctissimis animorum vinculis divinarum humanarum-
que rerum concordia stabilivit. deinde succrescente paulatim hominum
nequitia, ab illa priori integritate degenerantium pharmacum salutare
excogitavit, sed melle adhuc litum, hoc est totam se ad vitiorum detesta-
20 tionem adque virtutum praedicationem convertit.

Postremo, cum serpente malo ad verba homines obsurduissent nec ad **16, 1**
honesta flecterentur, ibi sanctissimas Leges non regum, ut quidam
garriunt, arbitrio, sed iustitiae trutina expensas constituit. nequaquam
profanum vulgus aut in deliciis enutriti principes, sed sapientiae antistites
25 leges praescripserunt: Pythagoras primum, post illum et Socrates et
Plato et Aristoteles. praetereo Lycurgum, Solonem, Draconem et alios
insuper plurimos, non sapientes modo, sed sapientiae thesauros, sapien-
tiae promos ac condos, sapientiae asylos, qui inexhausto studio legibus
dictandis incubuerunt. quid autem? nonne septem illi Graeciae vel deo- 2
30 rum responsis sapientissimi pronuntiati omnes legum, ut Plutarchus est
auctor, fuere conditores? et quid vita humana erat | futura, si non legum [Cv^r]
aequitate aequissimaque lance dirigeretur, si non in illis rerum humana-
rum cardo verteretur? nonne omnis libertas, omnis iucunda firmaque 3
animorum colligantia, omnis consanguineorum nativus nexus ac vinculum
35 amicorum, nonne parentum erga proles studium et harum rursus erga
parentes pietas legibus sublatis una de medio evanescerent? suavissimum
est communi contubernio cum familiaribus uti. gratum est et nimis
quam dulce uxorculam probam et pudicitiae suae custodem domi alere,
quae fertilitate sua sit *uti vitis abundans in lateribus domus*, quacum

§ 3 de priscis hominibus cf. Lucr. V 953–971; Verg. Aen. I 53 || **16** *§ 1 cf. Plin. N. H. 7, 110* || *§ 2 Plut. loco nondum reperto (num Lyc. 4, 2?)* || *§ 3 Ps. 127, 3*

2 sapentia **V** || 21 *ma* Leges || 26 Licurgum **V** || 38 pudiciae **V**

seria ac ioca quasi tecum communices, quae prosperis et adversis socia sit. volupe est proles virtutum gradibus adulescentes tanquam *novellas* plantulas *in circuitu mensae* videre, quas Deo colendo, reipublicae iuvandae, tuo senio fovendo enutrias, quibus lassitudinem, curas, tristia leves.
4 atqui haec omnia sola legum censura conservantur integra, sine quibus 5 et familiae dissiparentur, uxoris filiarumque pudicitia in propatulo diriperetur, filioli in omne nequitiae barathrum vellent nollent impellerentur. in rem ac emolumentum est et privatim cuiusque et publice universorum maria navigare, terras mercium undecunque advehendarum gratia peragrare, quibus non necessitatem modo, sed honestam etiam 10
5 voluptatem foveamus. cordi est omnibus in altissima pace, in otio extra bellorum faces ac furias securam vitam agere et Deo potius divisque [Cv^{v}] colendis quam lituis et gladiis excuden|dis opes profundere. expeditum est nobis studiosae turbae philosophiae tranquillam navare operam et
6 Musas, pacis filias, colere. grata sunt haec vobis omnibus, viri eruditis- 15 simi. haec in votis primis habetis. sed quisnam haec omnia, quis hominumve deumve praestabit? unde tantopere petita, adeo sola commemoratione, sola auditione blandientia unde requiremus? nimirum a sanctissimis legibus omnium horum defensaculis, quae nocturnos grassatores, diurnos oppressores, latrones, sicarios, piratas, tyrannos et omnem illam 20 pravorum perditorumque sentinam extra hominum coetum exulare
7 cogunt. sine legibus autem nulli sua domus, sua uxor, suae opes, sui agri, sua denique cutis foret salva. innocentissimi quique aut dira immanitate crudeliter mactarentur aut putidissimorum nebulonum ludibrio expositi in vinculis, carceribus, compedibus vitam gemitibus traherent, non 25
8 agerent. ergo quod domos ad tempestatum vim propulsandam possidemus, quod laboribus interdiu fatigati noctu molliter cubamus, quod quocunque libeat securi pervagamur, quod montibus ac colliculis inambulamus, quod ad fonticulos expatiamur, quod in agris rusticamur, quod serimus, metimus, trituramus, quod sedemus, stamus, vescimur, 30 bibimus, quod genio honesto indulgemus, quod secundum naturae praescriptum degimus, quod homines simus, non ferae, non tigres, postremo, ut semel dicam, quod vivimus et omnino communi hoc aere, [Cvi^{r}] hac luce fruimur, cui quaeso se|cundum Deum debemus nisi praeclarissimis legibus, omnium malorum expultricibus, nullorum non bonorum 35
9 datricibus? hae suam cuique dignitatem aequissima lance appendunt neque horsum neque illorsum inclinant. suum cuique in civitate ordinem designant ac definiunt, rem familiarem illaesam conservant, fures,

§ 4 Sall. Cat. 13 mulieres pudicitiam in propatulo habere

3 plantusas **V** || 7 baratrum **V** || 20 pyratas **V** || 21 sentinam **V** sentinum **BL**[1] || 37 horsum **V** horsuur **BL**[1]

peculatores, abigeos poenis formidolosis abigunt. hae omnium artificum
industriam florere faciunt, hae rebus omnibus sua pretia imponunt,
usum praescribunt. quicquid hae probant, probatum est; quicquid 10
damnant, damnatum est. si quid velint hae, omnes volunt, nolint, nolunt.
5 his sublatis artes morientur, commercia interibunt, societates fraudabuntur, cessabunt officinae, vacua erunt emporia, aut nemo mercabitur
aut non mercabitur nisi Graeca fide. si enim leges non essent, quae cui- 11
quam possit esse fides? his expulsis, quaecunque in amplo hoc et pulcherrimo mundi theatro spectantur, foeda colluvie confundentur. dives
10 est quispiam? legibus debet. castus est? legibus debet. liber est? legibus
debet. multos agros possidet? sed sine legibus nequaquam possideret.
nos studiosi philosophiae inservimus. nonne et hoc totum legibus debe- 12
mus? sine quibus quis philosophiae, quis otio aut studio locus? ergo
omnes artes, omnes ordines, omnes aetates suam vitam legibus acceptam
15 referunt. annuistis, viri celeberrimi! iure igitur exclamem: o omni veneran- 13
das pietate, sacratissimas, augustissimas, divinissimas leges, quae solae
pleno cornu tot nobis uberrrima bona | accumulatis! o vitae nostrae [Cvi^v]
praesides, o artium bonarum tutrices! quis vestram dignitatem, eminentiam, maiestatem fando non dico aequare, sed vel attingere possit? qui
20 vos pro merito laudem, sine quibus neque mihi locus hic ad laudandum
neque clarissimis istis viris ad sedendum foret tutus. recte profecto **17, 1**
Pythagoras symbolo monuit vestram coronam non esse carpendam. recte
Aristoteles civitatis salutem vobis unis tribuit. recte Cato vos esse nervos
civitatis praedicavit. recte vester eloquentissimus minister Marcus 2
25 Cicero vos inventas dicit ad salutem civium, civitatum incolumitatem
vitamque hominum et quietam et beatam, sine quibus si qua sit civitas,
illam nullo habendam esse loco. vos esse fundamentum libertatis, fontem
aequitatis, mentem et animum et concilium et sententiam civitatis in
vobis esse positam; ut corpora nostra sine mente, sic sine vobis civitatem
30 suis partibus et nervis ac sanguine et membris uti non posse. nos omnes
idcirco legum esse servos ut liberi esse possimus. sed quam hi recte 3
senserunt, tantum desipuit caninus ille Diogenes, qui vos aranearum
telis similes esse latravit quod, uti illae maiores muscas transmittant,
minores irretiant, ita vos magnatibus parcentes solam plebeculam
35 coerceatis. falsa profecto comparatio et a cane profecta! quibus enim

§ 10 cf. Plaut. Asin. 199 Graeca mercamur fide; *Erasm. Adag. I viii 27 (LB II 308 F–309 A)* || **17** *§ 1 de* Pythagora *vide Adnotationes; Aristot. Rhet. I 4, 12 (1360a);* Cato] *revera Plato Leg. I 644e* || *§ 2 Cic. Leg. II 11* || *§ 3 cf. Diog. Laert. I 58, qui dictum non Diogeni Cynico, sed Soloni tribuit. verba non reperiuntur in Vita Diogenis*

10 liber **V** libe$_r$ **BL**^{1} || **23** Cato **V** *at legendum* Plato | *ma* 1. rhetori|coru. c. 4 || **24** *ma* Libro de | legibus. 2 || **27** *ma* in oratio|ne pro Clu|entio || **32** *ma* ex Laertio

probis non estis blandae, quibus pravis non metuendae? neminem respicitis, nulli connivetis, omnibus omnino estis aequae, nisi si quando [Cvii^r] 4 aequum esse omnibus | id demum foret iniquum. iam vero quid dicam eorum, qui leges scripserunt, in statuendo aequitatem, in praecipiendo vetandoque gravitatem et prudentiam? quid loquar scribendi elegantiam, orationis dignitatem, rerum omnium scientiam, omnium curam, miram 5 per omnia gratiam? quis cui praeferendus est? quantum, dii boni, acuminis in Papiniano, qui suo saeculo dictus est asylum civilisque sapientiae thesaurus, quem divus Iustinianus nunc subtilissimum, nunc acutissimum, nunc maximum, semper fere cum honoris praefatione nominat. quam exactus minimeque rudis Africanus! quanto compendio nec 6 minori luce eloquitur Scaevola! quam eleganter, quam belle et, ut ita loquar, tornate composuit Ulpianus! quam rara et singularis Callistrati doctrina! Iulianus quam leniter fluit, quam disertus est! quanta in prudentissimo, ut Iustinianus vocat, Paulo suavitas aut rectius familiaritas! quam diligens Pomponii cura! quanta Tryphonis subtilitas, quanta 7 omnium eruditio, candor, lux orationis! quid isti praeterierunt? quid ullus unquam scivit, quod isti nescierint? recte profecto sentiunt, qui volenti legum adyta penetrare et tot voluminum scita perdiscere necessarium censent et philosophiae conscium esse et elegantiae peritum et omnium scientiarum si non exacte gnarum, certe neutiquam ignarum. 8 porro legum professoribus quantus et nunc ubique honor, eminens dignitas, amplae luculentaeque divitiae? hi sunt civitatum, immo vero regno- [Cvii^v] rum oracula. hi reipubli/cae gubernacula clavumque dirigunt. hi vel praesides magistratusque sunt, vel illis dominantur. nam, ut ad Ciceronis verbum alludam, iurisconsulti sunt leges loquentes, leges vero sunt muti 9 iurisconsulti. Simonides interrogatus divitemne praestet esse an sapientem, 'sapientes', inquit, 'in divitum ianuis video'. at si quis me interroget utrum sit potius, iurisconsultum esse an divitem an potentem an nobilem an alium quemvis, dicam ego: 'eos omnes in iurisconsultorum vestibulis 10 haerere video.' sed ne, uti Midae in aurum, ita mihi omnia in legum laudem vertantur, pergendum est. neque hic quisquam expectet ut pontificii iuris laudes seorsum decantem, magnas quidem illas et singulares, sed partim cum legibus, partim cum Theologia communes. laudum itaque utriusque particeps est.

§ 5 Hist. Aug. Sept. Sev. 21, 8 Papinianum iuris asylum et doctrinae legalis thesaurum; *Iustinian. Epistola* Omnem rei *Digestis praemissa, 4 (ed. Mommsen-Krueger p. 11)* || *§ 6 Iustinian. 5* || *§ 8 Cic. Leg. III 2* . . . magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum || *§ 9 Aristot. Rhet. II 16, 2 (1391a 8)* || *§ 10 cf. Ov. Met. XI 102–103* effice quidquid/corpore contigero, fulvum vertatur in aurum

11 Aphricanus **V** || **12** Scevola **V** || **16** Triphonis **V** || **19** adita **V**

Quidnam ergo reliquum esse potest mortalium animis discendum, 18, 1
postquam non solum sublunarem hunc mundi circulum pervolitaverunt,
verum et aurea sidera dispenetrantes supra caelos sese sustulerunt ac
ibidem velut in Iovis gremio dulci meditatione acquieverunt? nunquid
5 etiam restat? an nondum est omnibus circulis absoluta haec tam spatiosa, tam varia, tam iucunda et voluptatis plenissima mentis peregrinatio? minime vero! quin alia est sublimior, divinior, incomprehensa 2
maiestate augustior sapientia, sacrosancta, inquam, Theologia, nullo non
praeconio maior, quam pro merito laudare nec facundiae deus Mercurius
10 nec ipsa Pitho nec ulli eloquentiae praesides aut dii aut | deae suffecerint. [Cviii^r]
mortalium vero ecquis, ut me taceam, tam uberi dicendi scaturigine 3
redundat, quis tam divite eloquentiae supellectile est instructus, quis
Demosthenes, quis Cicero tam vasto rhetoricae amplitudinis oceano
profluit ut nobilissimam hanc heroinam vel adumbrare laudibus possit?
15 nemo, hercule, nemo! quanto copiosius, fusius, maiori apparatu ac 4
celebri orationis pompa extollitur, tanto uberior veluti seges laudum inter
dicendum succrescit. ego vero balbutiens quid ex latissimo Sacrae
Scripturae campo decerpam, quod eius maiestatem procul suspiciendam
ac paene dixerim adorandam ulla ex parte non dico exprimat, sed longo
20 intervallo nonnihil attingat? rhetoricam, medicinam, metaphysicam, 5
iuris scientiam dixi principes esse artium. haec vero principum est princeps, omnium scientiarum magistra. quicquid in omni philosophiae
orbita comprehensum est, id omne minutum est, exile est, addo etiam
vanum est, si non herae suae Theologiae quadret, si non ei inserviat, eius
25 se pedibus venerabundum prosternat, si non oculi aliarum scientiarum
ad ipsam sicut oculi ancillarum in manibus dominae suae. sed quid ego 6
mea infantili lingua tua tentem praeconia, o inenarrabilis non dico vitae,
sed immortalitatis unica dux, unica largitrix? quidnam autem? an
virtutum indagatricem te recte dicam? minus hercle, minus quam res est
30 dixero. quin immo tu virtutum es et parens et altrix, quaeque eas tuis
fo|mentis in fastigium erigas. an vero vitiorum expultricem te praedicabo? [Cviii^v] 7
immo omnis vitiorum taetra cohors tuam modo faciem aspiciens sese
ipsa odit ac in se despuit. sed urbes te peperisse dicam? nihil dixero;
quin tu caelestem regiam implevisti civibus. dicam non modo nos, sed
35 omnino vitam hominum sine te esse non potuisse? tuae dignitati non
respondero, non satisfecero, quando nec beatarum animarum vita sine
te fuisset vita. laudabo te scilicet quod homines dissipatos in vitae 8

§ 1 cf. August. Serm. 14, 3 Lazarum ... in Abrahae gremio quiescentem (*ed. C. Lambot, S. Aur. Augustini Sermones I–L, Corpus Christianorum 41, 1961, 186, 59–60*) || *§ 2* Pitho] *cf. supra 4, 7* || *§§ 6–9 cf. Cic. Tusc. V 5* (*ubi laudatur philosophia*)

10 Pytho **V** || **20** methaphysicam **V**

societatem convocasti? maius profecto, maius est opus tuum, quae daemonis tyrannidi obnoxios ac infernis diis mancipatos in perpetuam civitatem subvehis, quaeque peccatrices animas tuis sanctis et efficacis-
9 simis monitis e Cerberi faucibus eripis. dixit de ethnica philosophia Cicero *unum diem bene exque praeceptis eius actum peccanti immortalitati ante-* 5 *ponendum*. magna quidem laus, sed inferior quam ut tuam aequare possit. unus enim dies ex tuo praescripto inculpate transactus praestat etiam
10 immortalitati ex solis philosophiae praeceptis transigendae. dixit de philosophia Seneca, philosophari hoc demum esse bene valere. ego vero dico sacrae Theologiae invigilare unicum esse valere, unicam beatitudi- 10
19, 1 nem. *beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* o salve igitur, sacratissima Scriptura, mater fidelium, via salutis! tu es felix illa aqua, quae catholicae Ecclesiae *arcam in sublime* contemplatio-
Di[r] 2 nis | levas. tu es puteus ille purissimus, ad quem Isaac cum Rebecca, Iacob cum Rachel, Moyses cum Sephora, hoc est sanctae animae Domino 15 coniunguntur. tu es puteus ille visionis, ad quem habitare singularis benedictionis loco concessum est Isaac, quemque purgatissimum Phili-
3 stini, hoc est haeretici canes, semper student oppilare terra. tu es mare illud capacissimum, in quod omnia doctrinarum fluenta refluunt, nec redundas; in cuius aquis draconis capita confringuntur, in cuius aquis 20 infernus Pharao cum exercitu toto absorbetur. tu es *puteus aquarum*
4 *viventium, quae fluunt impetu de Libano.* tu es aqua illa primum amara, sed quae immisso salvificae crucis Christi ligno suavissima facta es in deliciis tuis, ut bibat omnis sapientium populus, bibant omnia rudioris plebeculae iumenta. tu es aqua sapientiae, in quam Ezechielis exemplo 25 ingredimur usque talos, usque genua, usque renes, et intumescis tandem nec transvadare possumus. verum omnis anima eo serpens, quo tuus torrens venerit, vivet *orietur*que ex omni parte torrentis *lignum pomi-*
5 *ferum*, cuius *fructus* sint *in cibum et folia* in animae *medicinam*. tu es efficax Iordanis aqua, in qua una Naäman, puta gentilis populus, a 30 vitiorum lepra mundatur, cui fluvii Damasci, quippe gentiles disciplinae, nihil quicquam profuerint. tu es amoena aqua, in qua Susanna, id est sancta Dei ecclesia, *pulchra nimis et timens Deum*, *non habens maculam*
Di[v] *neque | rugam*, sese contra tentationum aestus aspergit, post certaminis

§ 10 cf. Sen. Epist. 15, 1 || **19** *§ 1 Ps. 93, 12; cf. Gen. 7, 17* . . . aquae . . . elevaverunt arcam in sublime a terra || *§ 2 Gen. 24, 62* (Isaac)*; 29, 2* (Iacob)*; Exod. 2, 15* (Moyses)*; Gen. 25, 11 et 26, 15–18* || *§ 3 cf. Eccl. 1, 7; Ps. 73, 13–14; Exod. 15, 4 et 19; Cant. 4, 15* || *§ 4 cf. Exod. 15, 23–25; Ezech. 47, 3–5; 9; 12* || *§ 5 4 Reg. 5, 10; Dan. 13, 2 et 15* (aestus); *Paul. Eph. 5, 27* (non habentem maculam aut rugam)*; Ioh. 5, 1–4*

5 praeceptis **V** || 11 *ma* Psalm. 93 || 14 *ma* Gene. 8 || 18 heretici **V** || 19 *ma* Eccle. 1 || 20 *ma* Psal. 73 || 21 *ma* Exodi 15 || 21 *ma* Sapien. 9 || 25 *ma* Ezechi. 4 || 30 *ma* 4. regum 5 || 32 *ma* Danie. 13

lassitudinem refocillat. tu es piscina Hierosolymitana, in qua postquam descendit magni consilii angelus, nemo non ab omni morbo sanatur. tu 6 es sapientia, quae domum tibi aedificasti misistique ancillas, alias scilicet scientias, ut ad arcem, nimirum ad te, homines vocent. tu es lex Domini 5 immaculata, sermo illuminans et intellectum dans parvulis. tu pedibus lucerna, semitis lumen, eloquium vehementer ignitum. tu es vera omnium scientiarum regina, quam Aristoteles somniavit esse Metaphysicam. tu es sapientia illa absconsa sapientibus, revelata parvulis. quam *qui* 7 *invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.* tua decreta et 10 sanctissima oracula non mendacibus philosophorum coniecturis sunt prodita, sed *ex ore altissimi* altissima et ipsa prodierunt, auctore Spiritu sancto mundo promulgata, tot insignium patriarcharum fiducia firmata, tot divinorum prophetarum vaticiniis – quorum quid non evenit? – enuntiata. pro tua certissima veritate immensum foret enumerare quot 8 15 summi pontifices, quot nobilissimi principes ac purpurati, quot praecellentissima ingenia, quot nominatissimi philosophi, quot eloquentissimi patres, quot tenerae virgines erectos iugulos promptissime obiecerunt, tuam veritatem rubro sanguinis sui sigillo communientes. si quid est 9 quod princeps quispiam potens gravis poenae loco auferendum ei statuat, 20 qui contra se deliquerit, nemo non | intelligit rarum id esse ac pretiosum. Diiʳ de sacra autem Theologia dicit per Esaiam Dominus Deus, principum princeps: *admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapientia a sapientibus . . . et intellectus prudentium . . . abscondetur.* si quid est quod praesens omnia mala avertit, quo si careas, 10 25 plurima globatim obvenient, quis illius praestantiam non animadvertit? talis est theologica scientia. *propterea,* inquit per prophetam Dominus, *captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit. propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino; et descendent fortes* 30 *eius, et populus eius et sublimes gloriosique eius ad eum.* et Hieremias: 11 *constitui super vos speculatores, et dixi: 'audite vocem tubae.' et dixerunt: 'non audiemus.' ideo audite, gentes, et cognoscite, congregatio, quanta ego faciam eis. audi, terra: ecce ego adducam mala super populum istum,*

§ 6 Prov. 9, 1 Sapientia aedificavit sibi domum*; 3* misit ancillas suas ut vocarent ad arcem*; Ps. 118, 1* beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; 130* declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*; 105* lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis*; 140* ignitum eloquium tuum vehementer*; Aristot. Eth. Nic. VI 7, 2–3 (1141a); cf. 13, 8 (1145a)* ‖ *§ 7 Matth. 11, 25 . . .* abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*; Prov. 8, 35; Eccli. 24, 5 (cf. et infra 19, 14)* ‖ *§ 9 Is. 29, 14* ‖ *§ 10 Is. 5, 13–14* ‖ *§ 11 Ier. 6, 17–18*

1 *ma* Johan. 4 ‖ 5 *ma* Psal. 118 ‖ 7 *ma* l. posterio. | Methaphisicam V ‖ 8 *ma* Mathe. 11 ‖ 22 *ma* Esaie 19 ‖ 26 *ma* Esaie 5 ‖ 30 *ma* Hiere. 6

fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt et legem meam
12 *proiecerunt.* si quid est quo uno, abiecta omnium aliarum rerum gloria,
serio gloriandum est, id profecto quale sit, talpa Tiresiaque caecior est
qui non videt. atqui de diviniloquae Scripturae cognitione dicit Omni-
potens: *non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in* 5
fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur,
13 *qui gloriatur, scire et nosse me.* si quid est, cuius contemptus atque parvi-
Dii^v pensio iram Domini contra populum excitet, an illius pre|tium exiguum
sit? de lege autem divina legimus: *abiecerunt . . . legem Domini exerci-*
tuum, et eloquium Sancti Israel blasphemaverunt. ideo iratus est furor 10
Domini in populum suum et extendit manum suam super eum, et percussit
14 *eum.* si praeclarum est quod a praeclaris prodiit, at sacra Theologia *ex*
ore prodiit *altissimi*. si laude dignissimum videri debet quod a summis
viris commendatur, audivimus quantum eandem Dominus Deus prae-
dicet. 15

20, 1 Proinde, viri clarissimi, caelestem sacratissimamque *disciplinam*
apprehendamus quantum maxime possumus, *nequando irascatur Dominus*
et pereamus de via iusta. si *in lege Domini meditemur die ac nocte, erimus*
tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum divinae
sapientiae, et *fructum dabimus in tempore . . . et quaecumque faciemus,* 20
2 *prosperabuntur.* huic dicamus: *'soror nostra es', et prudentiam vocemus*
amicam nostram. praeponamus eam regnis et sedibus, et divitiae nihili
fiant eius comparatione . . . super salutem et speciem diligamus eam,
sitque nobis pro luce, *quoniam inextinguibile est lumen eius. venient omnia*
3 *bona pariter cum ea, et innumerabilis honestas per manus illius. hanc a* 25
iuventute nostra amemus, hanc sponsam nobis assumamus simusque
amatores formae illius, et custodiet nos *a muliere extranea*, ab omni
scilicet latenti subdoloque errore. de hac cisterna bibamus aquam im-
mortalis sapientiae. huius putei fluenta libemus *et in plateis aquas* nostras
Diii^r 4 dividamus. ame|mus Scripturarum sanctarum studia, et vitia carnis nos 30
non amaturos divus Hieronymus sponsor est non recusandus. hanc igitur
salutarem sapientiam consectemur, hanc somniemus, hanc cogitemus.

§ 12 talpa Tiresiaque caecior] *cf. Erasmus, Adagia I iii 55 (LB II 133 F–134 A) et 57 (134 D); Ier. 9, 23–24* || *§ 13 Is. 5, 24–25* || *§ 14 cf. supra 19, 7* || **20** *§ 1 Ps. 2, 12; 1, 1–3* || *§ 2 Prov. 7, 4; Sap. 7, 8 et 10–11* || *§ 3 cf. Sap. 8, 2* hanc amavi . . . a iuventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius*; Prov. 7, 5* ut custodiat te a muliere extranea*; 5, 15* bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui*; 5, 16* et in plateis aquas tuas divide || *§ 4 Hieron. Epist. 125, 11* ama scientiam Scripturarum et carnis vitia non amabis. – dormire . . . vigilare *etiam est memoria biblica: cf. Cant. 5, 2; Daniel 12, 2; Marc. 14, 37; Paul. 1 Thess. 5, 6 et 10, etc.*

3 Tyresiaque V || 5 *ma* Hiere. 9 || 8 Ilius V || 9 *ma* Esaie. 1 || 18 *ma* Psal. 1 || 21 *ma* Sapien. 7

haec dormientium animis obversetur, haec vigilantibus sit individua comes. in hanc diurnus labor desinat, ab hac matutinus inchoetur. haec 5 requies nostra, haec solatium. cum hac sint seria nostra, cum hac honesti ioci nostri. haec comedentibus cibum sua caelesti ambrosia condiat, haec
5 ieiunantibus sit ciborum loco. ad hanc omnia studia, omnes scientiae, omnis labor uti ad scopum dirigantur sitque senectutis portus. medicina, 6 metaphysica, iuris scientia reginae sint; grammatica, dialectica, rhetorica concubinae sint; haec una sit formosa nostra, perfecta nostra, columba nostra. huic, avaro hoc saeculo, omni ingenii conatu, omnibus viribus
10 incumbamus, ne haereticorum pravitate, ne malignorum iaculis plus quam oportet sapientium *destruatur maceria eius, et vindemient eam omnes qui praetergrediuntur viam; ne exterminet eam aper de silva, et singularis ferus depascatur eam.*

Philosophia porro omnium doctrinarum praestantiam sua ditione **21, 1**
15 amplectitur ideoque quas laudes cuivis earum asscripsi, eas omnes philosophia suo sibi iure vendicat. est quispiam qui emendato ac eleganti 2 sermone ex grammaticae legibus utitur? philosophiae videlicet hoc debet. est alius qui argute, acriter, subtiliter syllogismos vel | nectit vel dissol- Diiiᵛ vit? hic quoque philosophiae suum agnoscit alumnum. alius suavissima
20 oratione audientium animos tum demulcet, tum suspendit. gratiam et ipse habeat philosophiae. est qui numerandi perplexitatem, mensurandi 3 discrimina, sonorum symmetriam, astrorum flexuosos cursus exacte calleat? annon et hoc philosophiae est munus? siqui variam rerum naturam perspectam habent, siqui morborum originem, causas, medicamenta
25 norint, si et ius summum et iusti aequique Lesbiam regulam teneant, si divinas sanctiones et eloquia Domini, eloquia casta intelligant, si caelestia terrenaque omnia mentis penetralibus habeant recondita, cui quaeso haec debentur, cui referant accepta, si non uni atque adeo soli philosophiae? philosophia ergo, cuius complexu haec tam speciosa 4
30 ornamenta, tam praeclara munera, tam rarae dotes comprehenduntur, nonne res quaedam esse videtur omnibus votis, omnibus horis, omnibus locis expetenda? huius gratia huc, iuvenes, advenistis. huius gratia hic, grandes natu ac senio venerabiles viri, multis annis perseveratis procul patria, procul amicis, abdicato et neglecto quicquid a puerilibus annis
35 dulce blandumque vobis fuit. omnibus una et concors stat sententia 5 menti, velle quam maximo possimus studio ad philosophiam incumbere,

§ 5 senectutis portus] *cf. Mart. IV 25, 7* vos eritis nostrae requies portusque senectae || *§ 6 cf. Cant. 6, 7–8* sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae... una est columba mea, perfecta mea ... *2, 10:* columba mea, formosa mea*; Ps. 79, 13–14* ut quid destruxisti ..., vindemiant ... exterminavit ... depastus est || **21** *§ 3 de* Lesbia regula *vide Adnotationes*

11 *ma* Psal. 79 || **14** *ma* Philoso|phia

eius nos opibus ditare, eius merces in hoc copiosissimo scientiarum em-
6 porio laboribus, vigiliis, sedulitate commercari. congruum proinde ac
[Div^{r}] opportunum fue|rit vobis breviter commemorare verborumque penicillo
depingere quot in hac praeclarissima Lovaniensium Academia et quanta
studiorum adminicula Deus Optimus Maximus indulserit. 5

22, 1 Principio, ut inde ordiamur quae corporis valetudine inserviunt,
caelum Lovaniense ita est clemens, benignum, moderatum ut nec immo-
dicis nos adurat aestibus nec boreali frigore torpere faciat, sed inter
utrumque medium ut cum aestatis calores facile tolerentur, tum hiemis
siqua est asperitas optimorum lignorum copia non sumptuose propulse- 10
2 tur. aura nunquam fere non amoena, placida, salutaris, tranquilla. aer
est undique innocuus, saluberrimus, tenuissimus, a foetidis nebulis,
a graveolentibus vaporibus, a crassis marium halitibus longe liberrimus.
quo fit ut rarae hic debacchentur, quae Italiae, quae Franciae sunt
anniversariae, lues; quin et peste occupatis adiacentibus regionibus 15
3 Lovanium immune fere aeris puritate perseverat. neque enim tam editi
sunt montes septemtrioni obiecti ut Boream purgando aeri excludant,
neque rursus tam humiles ut saevire permittant. iam vero quod ad aquae
elementum pertinet, ex cuius puritate praecipua incolarum sospitas
testibus medicis dependet, Lovanii fontes sunt plurimi ex tellure arenosa 20
mundissima, nullo luto, nullis faecibus contaminata, passim ac limpidis-
4 sime scaturientes. fluvii unus et alter plane vitrei, perspicui, lucidi, qui
per nullas decurrunt paludes, in nullos declinant foetidos lacus, nusquam
[Div^{v}] immobiles et, ut ita dicam, mortui, perpetuo fluxu si quid in oppi|do
5 putridum est, ut non esse non potest, id omne secum avehentes. terra 25
hic est, qua nulla cultior, nulla uberior, ubique herbida, ubique ferax
pleno quasi Copiae cornu quicquid palato sapidum est, quicquid naribus
blanditur, quicquid oculos pascit, quicquid ad medicamina nostratia
6 convenit largissime effundens. ubinam, quaeso, omnigenorum fructuum
maior proventus, ubi omne genus florum laetius arridet, suavius latiusve 30
spirat odorem, ubi terra variis colorum discriminibus picturatior? terra,
inquam, nemorosa, plena multiiugis ferarum generibus, non siticulosa,
non rupibus aspera ac indomita, non arenarum ariditate sterilis, non
7 torrido solis aestu humidis fomentis spoliata. in hac sunt et editi colles et
editiores montes, non praecipiti quidem illi et abrupta rupe, sed leni 35
acclivique iugo paulatim surgentes, quos citra fatigationem dumtaxat
exercitatus conscendas. conscendenti nusquam non occurrunt arbusta,
nusquam non suaveolentia vineta, quae laetas pullulant gemmas, unde
8 laetior etiam uvarum foetus exoritur. illic in aere viduus gemit turtur,

22 *§§ 3 sq. vide Adnotationes* || *§ 8 Plin. N. H. 10, 81–83*

6 *ma* **laus ame|nissimi Lo|vanii || 11 nonquam V || 32 feraum V**

illic philomela, minima quidem avicula, tamen sublatissima vocula. o quam dulciter cantillat, quam varios modulatosque parvulis in faucibus edit sonos, quos ut vicibus reddat discipulam docet quibusve, ut aemulam vincat, animosa contentione certat. ibidem apum rempublicam non sine 9
5 admiratione videbis. videbis milites *magnanimosque duces* earum. videbis alias flores advectare pedi|bus, alias aquam ore guttasque lanugine. ibi Ei^r omne avium genus subsiliunt, circumvolitant, colludunt, deliciantur. ibi 10 sese identidem ostentant et cervi volucres et timidi lepusculi et qui

gaudet in effossis habitare cuniculus antris,

10 e montibus descendens, ibi valles invenies umbrosas, invenies purissimos lacus, in quibus fluviatiles pisciculi conspicui ludunt. invenies in crepidine inque ipsis terrae visceribus opaca antra inque iis candidos lapides ad omne structurae ornamentum stabilitatemque a natura procreatos. porro haec omnia tam varia, tam amoena, tam oblectantia non est opus 11
15 ut ab urbe procul quaeras. intra moenia pleraque sunt omnia. intra moenia rusticari, venari, aucupari, piscari potes. intra moenia habes vineas, hortos, agros, prata, pomaria, campos, dumos, saltus, pascua, parvas silvulas, parva nemuscula. habes in his varii generis olera, gra- 12 mina, segetes, herbas, frutices, radices, flores, virgulta. si facultates non
20 suppetunt ut villas his copiis instructas compares, villae omnesque quantaevis villarum deliciae nihil oblectationis afferunt, quo non Lovanii haud procul a domo intra ipsos muros fruaris nec precario quidem, sed tuo iure cum aliis duntaxat communi. quodsi divitem esse magis in 13 utendo quam possidendo consistat (quae sententia est Aristotelis a
25 vulgaribus quoque recepta), nonne Lovanii quisque vel *Iro pauperior* iis abundat, quae ditissimae aliquot insulae maximo cuperent emisse? porro op|pidi regio tam amoena etiam ampla est, spatiosa, nusquam 14 Ei^v conclusa aut suffocata, undique patentissimis foris, compitis, vicis, plateis iisque ita patentibus ut nomen minime perdant. locus tumultuum 15
30 popularium plane expers, quietis ac solitudinis custos, plurimos habens recessus meditationibus studioque aptissimos. non foedantur areae, viarum strata canalesve (honor sit auribus) hominum excrementis, non lotio, non lutorum aggeribus: non est Lutetia, sed Lovanium!

Domus studiosorum usibus sane quam accommodae, non usquequaque **23,** 1
35 magnificae aut sumptuosae. haec enim quorsum philosophantibus? templorum visenda et conspicua ornamenta, elegans et artificii plena 2 structura, ut architecti affirment haud inveniri templum plurimis

§ 9 Verg. Georg. IV 4 || *§ 10* cervi volucres] *cf. Sil. III 297 aut Stat. Achill. II 111; Mart. XIII 60, 1* || *§ 13 Aristot. Rhet. I 5, 7 (1361a 23); Mart. V 39,9* || *§ 14 Aus. epist. 4, 22* || **23** *§§ 1 sqq. vide Adnotationes*

3 *ma* Plinius || **24** *ma* l. rhetori|corum. c. 5 || **29** *ma* Ex Auso. || **33** aggeribns V

regionibus tam composite, tam scite ac fabre extructum quam est
templum divi Petri. non immani illud quidem magnitudine, sed incredibili
politie, mirifica proportione, luculentum, concinne et in quo nihil alteri
3 non aptissime respondeat. populus ipse incola sermone est blandus,
moribus mansuetus ac mitis, comis, civilis, omnibus in rebus nitidus 5
magis quam splendidus. quod autem divitiis non plurimum abundant,
quod frequentia desint emporia, quod adventicii desint mercatores
externarum deliciarum advectores, quod luxuriae desint fomenta, haec
neutiquam nostris incommodis annumeraverim, quippe quae solitudinem
4 nobis, quietem studiisque amicam temperantiam concilient. intelligitis, 10
Eii^r viri praeclarissimi, intelligitis quanta Lovanii | peculiaria sunt, quae vel
ad valetudinem vel ad oblectationem conferunt bona. intelligitis Lova-
nium sedem esse studiorum, et eam quidem unam omnium delectissi-
mam, eam unam ex milibus. videtis naturam pleno Copiae cornu sua
munera in Lovanium haud avariter effudisse ut videri sane possit suas 15
voluisse divitias, suam omnigenarum rerum ubertatem ostentare et in
5 hoc loco condecorando vires experiri suas. quocirca minime mirum videri
debet quod huc perinde atque in tranquillum portum sese conferunt viri
praestantes, qui ubivis vel rebus agendis vel magistratu gerendo vel
mercimoniis emundis vendundisque aetatem decurrerunt, ut hic rerum 20
6 naturae blanditiis senectutis gravamina lenius tolerent. minime mirum
est hunc unum esse locum, ad quem plurimi undevis confluunt, quoties
alicubi dira pestis grassatur ut, quos nec instrumentis suis medici nec
viribus suis medicamina tutari queant incolumes, eos temperatissima
huius aeris salubritas sospitet. haec, opinor, nemo non videt, nemo non 25
manibus contrectat, nemo in hoc consessu vel unum eorum quae dixi
verissimum esse negat; quae nec illi infitiari sine magna possunt im-
7 pudentia, qui Lovanio male volunt. ergo tot munibus invitati allectique,
quae nobis *citra arationem*, quod aiunt, *citraque sementem* proveniunt, an
Deo et naturae ingrati, segnes erimus et ad philosophiae operas torpen- 30
tes? agite nunc, ostendamus Academiae itidem nostrae nihil deesse, quod
Eii^v vel ad optimam in quibusvis disciplinis institutionem | vel ad mores
recte componendos pertineat.

24, 1 Multae sunt passim toto christiano orbe Universitates, sed in aliis
alia desiderantur. alicubi solas Leges concessum est sive docere sive 35
discere; alibi unica Medicina in pretio est cognatisque scientiis reiectis
2 sola regnum possidet. est et ubi ceteris scientiis receptis sanctissimae
Leges exulant. Lovanii omnes scientiae suo pretio pro dignitate aesti-

§ 7 citra arationem citraque sementem] *Erasmus, Adagia I v 81* (*LB II 212 EF – 213 A*) || **24** *§ 2 vide Adnotationes*

7 marcatores **V** || 29 *ma* Prover. || 31 *ma* laus incli|te acade|mie Lova|niensis || 32 iustitutionem **V**

mantur, omnes traduntur, omnes coluntur, omnes celebriter et doctoribus sunt honoratae et discipulis, numerosis quidem illis, si cuivis Universitati extra unam Parisiorum conferas, tamen delectu magis quam numero aestimandis. omnes pulcherrimis ordinibus discretae, suum quaeque gradum et, ut ita loquar, aetatem habet, suo ordine, suo tempore discitur: Artes liberales primum, utpote fidelissima adeoque necessaria superiorum Facultatum fundamenta, sine quibus frustra quicquam in eminentioribus disciplinis moliaris. quod prudenter, ut alia omnia, intelligens sacra theologica Facultas communi et utilissimo decreto sancivit ne quis ullum sui ordinis gradum conscendat, qui non prius suprema Artium sit insignia et promeritus et consecutus. iurisconsulti itidem, etsi decreto id quidem minime caverint, non minus tamen anxie observant ut Iuri operam daturum prius oporteat Logicam mediocriter callere quam vel id permittatur discere, unde Iuris nomen descendat. procul, hercle, procul abest ea perniciosa facilitas vel in discipu|los recipiendi, qui non Artibus legitimam navarint operam, vel ad gradum sublimandi, qui sese parum idoneos exhibeant, et profecto nulla alia re compertum est plerasque Universitates periisse quam quod promiscue doctos atque indoctos accepta pecunia promoverint. vere dixit apud Euripidem Ulysses:

> *hinc plures defluunt respublicae,*
> *quod strennuum qui praebet ac fortem virum*
> *non plus honoris quam vir ignavus capit.*

porro, quod ad mores attinet, habet totus studiosorum coetus, ut est in apibus, principem unum ac rectorem, virum semper magno natu maturum, gravem, cordatum, constantem, prudentem, longa rerum experientia probatissimum, vultus dignitate venerabilem. is stato tempore principatum init eumque neutiquam malis artibus, sed ex tota quapiam Facultate, cui scilicet ea sors obtigerit, delectu exacte habito consequitur. neque vero tam hoc sedulo commemorarem, nisi rem memorabilem quarundam Academiarum mores facerent, ubi sordidis precibus, ubi pecuniis . . . sed quid precibus, quid pecuniis dixi? immo vero fustibus et gladiis tam insignem dignitatem viri senes adulescenti cuipiam afferunt. res hercle portentosae stultitiae, quae ut a nostris moribus perpetuo exulet faxit Deus! iam vero quid praedicem professorum plenam venerationis gravitatem, sed ea tamen facilitate comitateque permixtam ut facilitas de iusta auctoritate non minuat, gravitas auditores non abs-

§ 7 Eurip. Hec. 306–308 e versione Erasmiana (ed. J. H. Waszink, Opera Omnia I 1, 235), vv. 337–339 paululum immutata (hinc nanque plures . . . dum strennuum)

20 *ma* In Hecu|ba

Eiii^v^ 11 terreat. et praeterire non possum raram | scholasticorum modestiam, inter se concordem amicitiam et familiarem convictum, erga praeceptores decentissimam reverentiam, erga cives placiditatem. domi se continent, tuti quietique agunt. dant operam magistris assiduam, sedulam, strennuam, sine strepitibus, sine serpentinis sibilis contemptus indicibus. 5
12 quodsi quis roget: 'vos, Lovanienses, nullane habetis vitia?', non hercle nulla, sed perpauca. o igitur tot beata dotibus sacra Lovaniensium Academia! o Burgundicae ditionis unica salus, unicum praesidium! et o vicissim beatam te, luculenta Burgundica ditio, quae per Lovanium ea
13 omnia possides bona, quae disciplinae secum afferunt universae! o 10 peculiariter felix inclyta Brabantia, quae circumiacentes finitimasque regiones per Antverpiam vincis mercimoniorum copia, per Bruxellam aulica et ingenua elegantia, per Buscumducis militari strennuitate, per Lovanium vero uti prima est civitas, ita singularissimo munere vincis,
14 nempe omnibus numeris absolutissima Academia. haec ad felicitatem 15 deerat, cum militaribus triumphis toto iam orbi esses cantatissima; quos triumphos, nisi temporis vetaret angustia, liberet sigillatim prosequi, et
15 scio rem fore magnificam et auditu iucundissimam. quis enim ille fuit, qui Franciae regno sibi a proceribus oblato dixit malle se regibus imperare quam regnare? quis ille, quem Franci suo rege otiis marcente ad 20 regni gubernacula asciverunt? quis ille, qui Stephanum Pontificem
[Eiv^r^] summum domito Astulpho se|di restituit suae? quis Alanos cum tota Aquitania, quis feroces Frisios, quis Hungaros subegit? scilicet unus
16 inclytae Brabantiae dux Pipinus! sed quis orbem totum sui admiratione adeo implevit ut Oriens missis per legatos muneribus ipsius amicitiam 25 petiverit? quis ille, qui Hadrianum et Leonem summos Pontifices in sedes restituit, qui Longobardos domuit, Hunnos coercuit, Angliam devicit, Bavariam subiecit, Hispaniam subiugavit, Bohemos contudit, Dacos frenavit, Schlavorum rupit ferocitatem, Saxones ad christianam religionem armis convertit, breviter Occasum Septentrionemque qui imperata 30
17 facere coegit, cuias fuit? nempe Brabantinus, et Brabantiae dux, patre natus Pipino, Carolus, rerum gestarum magnitudine magnus, Alexandro Magno longe maior, et tanto quidem maior quanto cum ferocioribus gentibus congressus est, quarum et nomina ipso tremenda sunt sono et enumerare operosum. 35

25, 1 Sed non est huius muneris Brabantinorum historiam, pulcherrimam quidem illam, texere neque bellicas laudes praedicare. sed avectus sum dulci gentis contemplatione, quae tam beatis sedibus nos fovet. ergo, ut finem nostra inveniat oratio, quotquot simus, cuiuscumque professionis, ordinis, status, dignitatis, gradus, aetatis, omnes alacri vigilantia et 40

2 ami|ciciciam **V** || **11** *ma* Brabantia | alias regi|ones multis | exuperat || **12** Hantverpiam **V** || **27** Longbardos **V** | *ma* Italie do|minatus est || **36** hystoriam **V**

vigili alacritate philosophiam sectemur. si quis nobilis est et vetusta 2
natalium serie illustris, is vel maxime generis claritudinem studebit
egregia litteratura illustrare, ut habeat quo tamquam suo gau|deat. [Eiv^v]

nam genus et proavos et quae non fecimus ipsi,
5 *haud ea nostra voco . . .*

contemnent etiam vulgares quantumvis illustrem, si sit ideota, si illitteratus, si muta statua, semper de pectore alieno sapiens vel, quod saepius contingit, de suo desipiens. ergo vere nobilis conabitur rerum cognitione 3 praecellere, et incredibile est quantum in magnatibus vel mediocris 10 eruditio splendescat, quae sit publice plausibilis, quantum sibi favoris apud populares conciliet. qui ut genere ac divitiis, ita virtute quoque ac insigni doctrina ceteris praestat, hunc demum putant dignum imperio, dignum cui obtemperetur, cui omnes pareant. atqui alius ignobilis est et 4 terrae filius, quique avi nomen dicere non possit, immo ne patris quidem, 15 uti dicitur. hunc Seneca bene sperare iubebit: *Platonem*, inquit, *philosophia non accepit nobilem, sed fecit.* hunc Aristoteles consolabitur: 'aspectus', ait, 'a continenti aere lumen accipit, animus autem a disciplinis liberalibus.' quid autem Alexander ille Magnus? nonne ad Aristotelem 5 scribens asserit sese praeoptare rerum cognitione praestare ceteris quam 20 imperio? nonne Robertus, rex Siciliae clarissimus, iuravit, si alterutro carendum foret, aequanimius sese regno quam litteris cariturum? ignobilis itaque an desperabit animumque despondebit, cui ad claritudinem a tantis principibus imperio magis expetitam non difficilior est aditus quam magnatibus ipsis?

25 Si dives sis et plurima possideas *agri iugera, multa magnaque paropside* 6 cenes, non habes tu | quoque cur a litteraria institutione abhorreas curve [Fi^r] minus gnaviter eruditas merces secteris, siquidem animo reputes quam fluxa, quam caduca, quam momentanea sint bona divitiae, si Fortunae caecae illius herae ludum agnoscas, cui nihil aeque volupe quam miserri-30 mum eum facere, qui dudum erat longe omnium felicissimus. nonne 7 Dionysius tam potens tyrannus eo Fortunae ludibrio coactus est ut

25 *§ 2 Ov. Met. XIII 140–141* || *§ 4 de* terrae filio *vide supra 4, 6; Sen. Epist. 44, 3; Aristot. apud Diog. Laert. V 17* || *§ 5 cf. Aul. Gell. XX 5, 7–8; Petrarca Rer. Memor. I 37, 11 (ed. G. Billanovich p. 40)* et si alterutro carendum sit, equanimius me dyademate quam literis carendum || *§ 6 Iuv. 3, 141–142* . . . quot possidet agri/iugera? quam multa magnaque paropside cenat? || *§ 7 Cic. Fam. IX 18, 1* Dionysius tyrannus, cum Syracusis pulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse; *Tusc. III 27; Valer. Max. VI 9 ext. 6, etc.; de Belisarii obolo cf. Tzetzes Chiliades III 344–345; at unde noverit Dorpius non satis liquet*

1 *ma* Ad nobiles || **4** *ma* Ovidius || **10** publicae **V** || **13** *ma* Ad igno|biles || **14** *ma* Prover. || **16** *ma* In Laer. || **18** *ma* In Gellio || **20** Robartus **V** || **21** *ma* in Pe|trarcha || **25** *ma* Ad divites || **30** qni **V** || **31** tyraunus **V**

Corinthi ludum aperiret, sola videlicet grammatica in egestate opitulante? nonne Belisarius, clarissimus belli imperator, toties victor, toties triumphator, tandem in trivio tugurium habitavit stipemque mendicans a praetereuntibus dixit: 'viator, da obolum Belisario, quem virtus extulit, 8 caecavit invidia.' nonne Pasaites, potentissimus Turcarum tyrannus, qui 5 tot regiones subiugavit quot uno spiritu nunquam percurras, is, inquam, tantus princeps post tot victorias nonne a Tamerlane, ignobili ac plebeio homine et gregario primum milite, proelio fusus est ac catena vinctus sub Tamerlanis mensa (res miranda) quasi canis deinceps micas collegit ac ossa rosit? eidem equum ascensuro cervicem pro scabello inclinavit. 10 9 Morini, vicini nostri, et Tornacenses item paucis ante mensibus feliciter floruerunt civitatibus munitis, episcopalibus sedibus, opibus non paenitendis. et ecce quam repente Mars horridus interturbat omnia! omnia divi Maximiliani imperatoris viribus cedunt victorque cum Anglis victis 10 Fi^{v} dominatur in urbibus. quocirca prudenter Aristippus, | interrogatus quid 15 civibus suis renuntiatum iri cuperet: 'tales', inquit, 'ut opes prolibus suis parent, quae naufragium etiam passos enando sequantur'. hae sunt bonarum artium possessiones firmae atque in omne aevum stabiles, ex quibus, auctore Aristotele, nullum bellum spolia ducit. ars una, quicquid eveniat, quicquid Fortuna moliatur inopiae, portus est mortalium, uni- 20 cum confugium, certissimum viaticum, quod quovis comitetur, nihil habens ponderis aut sarcinae, ideoque recte proverbio iactatur: 'artem quaevis alit terra'.

11 Si pauper es, tanto debes curare enixius omnibusque viribus, remis ac velis conari ut novercantis Fortunae erga te malignitatem tua industria 25 corrigas. nam quae compendiosior ad divitias via quam per optimarum disciplinarum excellentiam? *si divitiae*, inquit Sapiens, *appetuntur in vita, quid sapientia locupletius? stulto* autem *quid prosunt divitiae, cum* 12 *sapientiam emere non possit?* notius est quam ut sit prolixe altiusve repetendum quot viros ex infima sorte, ex ima plebis faece in summos 30 nobilissimosque heroas evexit eruditio ac summos pontifices statuit collocavitque supra principes, supra principum principes, quam multos nostra quoque videt aetas Iro prius pauperiores, huius suffragiis in

§ 8 de Pasaite vide Adnotationes || *§ 9 de Morinis vide Adnotationes. cf. Verg. Aen. II 327* incensa Danai dominantur in urbe || *§ 10 Vitruv. VI praef. 1–2; Aristot. loco incerto. – Proverbium: cf. Proverbia sententiaeque Latinitatis medii ac recentioris aevi. Nova Series, aus dem Nachlass von H. Walther hrsg. von P. G. Schmidt, Teil 7: A–G, Gottingae 1982, n° 932* || *§ 11 Sap. 8, 5; Prov. 17, 16* quid prodest stulto habere divitias, cum . . . || *§ 12* Iro] *cf. supra 22, 13*

1 Corynthi **V** || 4 obulum **V** || 5 *ma* scribit Pi|us in de|scriptione Asie Mi|noris || 22 *ma* Prover. || 24 *ma* Ad paupe|res || 27 *ma* Sapien. 8 || 28 *ma* Prover. 17 || 31 haeroas **V**

clarissimos evasisse viros et reges ac principes moderari, qui alioqui ne villam quidem unam erant possessuri.

Si formosus es, debes omnino animum ingenuis artibus excolere ne Dei 13 benignitati ingratus sis, qui cum vi|liorem tui partem scite expoliverit, Fii^r
5 tu nobilissimam ignorantiae sentibus patiaris sterilescere. indignum facinus in decoro corpusculo non vivere, sed mortuam ac sepultam cubare animam: formam exteriorem non nisi stupidam esse imaginem et suae imaginis, ut ille ait, imaginem. 'atqui deformis sum' dicet quispiam. 14 tanto animum exquisitius ornabis, quanto perituras dotes naturae parcius
10 adeptus sis, ut eruditionis copia penses dispendia formae. putabis, quod res est, alios forma placituros; te, nisi eruditus sis, horrori futurum; si alterius vel mediocris sit doctrina, illam forma commendari gratioremque fieri; tuam, nisi excellens fuerit, illi visum non iri aequalem.

Si iuvenili vigore polles, ista vero florida virensque illa est aetas, omnia 15
15 penetrans, ad omnia sequax et apta, in qua nisi firma ieceris disciplinarum fundamenta, in alieniori aetate frustra moliaris. sin medio vitae cursu 16 pueritiam praetergressus viges, memineris prioribus annis per pueritiae lusus, per caeca adulescentiae vitia, per inconsiderationem plurimum temporis sine fructu inane vacuumque praetervolasse. memineris senec-
20 tutem instare stipatam mille malis, mille incommodis, mille morbis, obliviosam, intractabilem, tardam, morosam, quae corporis epotet succos animique vigorem hebetet. memineris proverbio senis doctorem 17 dici eum, qui in re sera ac intempestiva sumit operam, ideoque hanc unam esse aetatem qua sedu|lo et enixissime studiis sit incumbendum, in Fii^v
25 qua et per animi vigorem et per corporis tolerantiam laborum solide proficias. ubi haec defecerint, vanum fore conatum. durant autem non diu sane, siquidem, auctore Aristotele, viget corpus quidem a vigesimo aetatis anno ad trigesimum quintum, anima vero usque ad undequinquagesimum. 'enimvero iam consenui', dicet alius, 'et ferre per aetatem 18
30 studiorum labores nec possum nec proderit.' verum nulla ad discendum sera est aetas. *tamdiu*, inquit Seneca, *discendum est, quamdiu nescias et, si proverbio credimus, quamdiu vivas.* Socrates senex fidibus operam dedit et annosos articulos magistro formandos commisit. Platonem totae Athenae magistrum ac doctorem exposcebant, et ipse profectus peregre

§ 13 ille = *Aus. Epigr. 10, 4 (Prete)* ipse rhetor est imago imaginis || *§ 17 Proverbium* senis doctorem *nusquam inveni, at fortasse refert Plautinum illud* doctum doces (*Poen. 880*), *vel etiam Hieron. Epist. 22, 27 (ed. J. Labourt, t. I, 140, 17 – 19)* stultissimum quippe est docere quod noverit ille, quem doceas || *§ 18 Sen. Epist. 76, 3; Diog. Laert. II 32* (Socrates)*; III 6* (Plato)*; Cic. Cato 3 et 26, etc.*

3 *ma* Ad formo|sos || 4 partemtem V || 8 *ma* Ausonius | *ma* Ad defor|mes || 14 *ma* Ad iuve|nes || 16 *ma* Ad mediam | etatem || 22 ebetet V | *ma* Prover. || 27 *ma* 2. rhetori|corum c. 13 || 29 *ma* Ad senes

19 discipulus esse maluit. Cato cum senuisset, litteras Graecas didicit. divus Hieronymus, vir tantus, post tot linguarum cognitionem, post tam immensam eruditionis silvam, eloquentiae supellectilem, Arabicas Chaldaicasque litteras didicit. sed nostrae tempestati vicinus Alphonsus gloriosus Siciliae rex, post illam rerum gestarum gloriam, post magnificos 5 triumphos fessus iam aetate et bellicis tumultibus, utrumque – vetus
20 pariter et novum – testamentum ipsemet quinquies decies perlegit. si bona valetudine potiris, ea memineris, donec perseverat, exacte utendum, eam citissimo pede labi neque futuram forte semper eandem ex sententia. venient morbi, languescet corpus, enervabuntur vires, emarcebit sto- 10
[Fiii[r]] 21 machus | omnisque studendi alacritas semel eripietur. si adversa premeris valetudine, qua alia in re morbi lenimen invenies? quid podagrae dolorem mitigabit? quid diram pleuresim emolliet? quid siticulosam phtisim humectabit? quid fugientibus amicis soli iugiter assistet, nisi suavissima in praeclaris auctoribus meditatio? cum quibus solitarius fabulaberis nisi 15 cum libris beatissima possessione? qui quae vis et quantum vis iussi loquentur, iniussi tacebunt.

22 Si prospera tibi cedunt omnia, litterae prosperis erunt ornamentum; si adversa, erunt portus et refugium. si doctissimus es, plurima supersunt quae discas; si indoctus, ne diu sis summis viribus elaborandum, neque 20 nisi in labore spem esse tibi persuadeas: *cetera* animalia *alia pernicitatem usurpare, alia praepetes volatus*, alia vires, *alia nare; hominem scire nihil sine doctrina* et labore, *non fari, non ingredi, non vesci, breviter non aliud naturae sponte quam flere.*

23 Omnes itaque, quotquot sumus, cuiuscunque professionis, ordinis, 25 status, dignitatis, gradus, aetatis, venerandae Facultatis Artium nomine adhortor ut alacri vigilantia et vigili alacritate, dum vivimus, philosophiam assidue sectemur! dixi.

§ 19 de Hieronymo vide Adnotationes; de Alphonso ubi legerit Dorpius non liquet. constat non esse in Operibus historicis Aeneae Silvii, ex quibus alia sumpserit || *§ 22 Plin. N. H. 7, 4* cetera sentire naturam suam, alia . . . hominem nihil scire, nihil sine doctrina, . . . breviterque . . .

7 *ma* Ad sanos || **10** emercebit **V** || **11** *ma* Ad fortu|natos (*id pertinet ad 18*) || **13** ptisim **V** || **19** *ma* Plinius || **28** *Subscriptio* Absoluta est haec oratio Martini Dorpii: in edi|bus Theoderici Martini Alostensis Louanii an|no millesimo quingentesimo decimotercio pridie | idus octobres. *deest* decimotercio *in* **L**[1] *et in exemplari Hagano*

IV

1

D. Erasmus Roterodamus Dorpio suo S. D.

Audivi non sine summa animi voluptate, mi Dorpi carissime, quae 1
nobis de te narravit communis amicus Paludanus, quanto pectore in
5 praefatione tua damnaris istos, qui neglectis divinis litteris, anxiis ac
frivolis quaestiunculis insenescunt, et qua tuba tuos auditores ad divinae
scripturae studia sis adhortatus. macte animo virtuteque! *βάλλ' οὕτως*:
sic itur ad astra. quaeso ut istam provinciam tuo potissimum dignam
ingenio, strennue coeptam, fortiter obeas. nos, quoad licet, non sumus 2
10 defuturi. tu, qui et aetate flores et ingenio polles et omnibus bonis litteris
affatim instructus es, maiora illa munia pari virtute sustinebis. favebimus
etiam obscuritati nostrae, si ad tuae gloriae splendorem nostri nominis
lucernula velut evanescet. quae didiceram ex Paludano narravi Tun- 3
stallo Britanniae oratori. crede mihi, homo exiliit prae gaudio, quod toto
15 animo negotium hoc capesseres. demereberis tibi Christum, nomen tuum
orbi commendabis, ac studiosis omnibus rem ut vehementer gratam, ita
et salutarem facies. bene vale, Dorpi, multo omnium carissime.
Bruxellae, VI Idus Iulias. 4

2

Martinus Dorpius Beato Rhenano suo, amico integerrimo, salutem dicit.

20 De honestis studiis, mi Beate, cum varia sint hominum iudicia, atque 1
ea tota (quod dicitur) diametro dissidentia, visum est mihi eruditorum
aliquot litteris provocato, quid sentiam explicare, ut intelligant omnes
quae sit quaeque fuerit animi mei de his sententia. proinde orationem 2
hanc annos abhinc tres a me Lovanii in celebri auditorio habitam, tui
25 nominis auspiciis exire volui, qua haud obscure significo nequaquam esse
verum, quod sperserunt quidam, me non ex animo favere vel litteris bonis
vel linguarum professioni. quod tantum abest a vero, quantum quod
longissime. quid enim? an indignius quicquam evenire mihi possit quam 3
nunc si videar earum esse hostis litterarum, quas a pueritia usque in-
30 feliciter quidem, ut hoc donem, certe studiose sectatus sim. quae probe
scio quantum mihi contulerint ad Scripturam sacram, ad veteres docto-

1 *§ 1 Verg. Aen. IX 641* || **2** *§ 1 Erasmus Adagia I x 45 (LB 380 EF)*

26 sperserunt **A** sparserunt **B**

res, ad omne genus auctores exacte cum intelligendos, tum enarrandos.
4 eas Lovanii multos annos docui, atque ita docui ut publica professio mihi ne cogitanti quidem tale quicquam fuerit annos abhinc decem ultro a magistratibus Lovaniensibus oblata, neque sine iusto stipendio, certe aliquanto maiori quam unquam antea quisquam perceperit. non iacto 5
5 haec; complures optimae fidei viri noverunt. tum fortasse plus in hoc genere valebam. interea aliis occupatum studiis dicendi peritia destituit, tametsi vix ullum diem praeterire passus sim quo non aliquid tempusculi seponerem bonis litteris impertiendum. quod adeo non paenitet ut, si
6 omnes diversum sentiant, non sim mutaturus sententiam. scio probe 10 quid quam saepe iis accidat, qui veteres auctores nullos evolverint. quid pluribus opus est? quando tota oratione hoc unum ago; in qua desideretur sane quidvis, seu elegantia, seu dictionis filum, modo eruditis viris argumento satisfaciam. curabimus alias accuratius scribere.

7 Iam quod haec oratio non per omnia prorsus ita dicta fuit, uti nunc 15 editur, nihil accidit mihi, quod non olim clarissimis viris atque nominatim Marco Tullio, qui longe aliter scripsit quam dixerat. neque quicquam tamen inest, quod non Lovanii publico auditorio vel dixerim vel praelegerim.

8 Hanc tibi dicare volui, mi Rhenane, qui me litteris tuis amicissimis 20 iuxta ac elegantissimis tam amanter provocaris, et amorem constantissimum fueris pollicitus. qui quamdiu durabit (durabit autem perpetuo), mutuus erit. oro te ut laborem hunc meum defendas, si ulla erit opus defensione; quod miror si futurum est. neque enim volui quemquam vel perstringere vel laedere. meam sententiam propono. quae si placeat, 25 bene habet; sin minus, non invideo melius sentientibus, idem et ipse libenter facturus, si quis doceat. hoc officium Dorpii tui quaeso te ut gratanter accipias.

9 Magister Nicolaus Busciducensis iam inde ab adulescentia mihi amicus, vir si quisquam alius fide integerrima, doctus praeterea simul et prudens, 30 recepit se curaturum ut oratio ipsa castigate imprimatur. bene vale!

10 Lovanii, X Kalendas Octobres.

21 ac **A** & **B** || **32** Kal. Octo. **A** Cal. Octob. **B**

3

ORATIO IN PRAELECTIONEM EPISTOLARVM DIVI PAVLI

de laudibus Pauli, de litteris sacris ediscendis, de eloquentia, de pernicie
5 sophistices, de sacrorum codicum ad Graecos castigatione et linguarum
peritia

Si ea mihi vis eloquentiae foret, viri clarissimi, quam praesens haec **1, 1**
adhortandi vos provincia expostulet, beatum me ducerem qui coram
vobis essem dicturus. futurum enim sperarem ut ex mea oratione multum
10 omnino fructus proveniret, si docta, si vehemens, si efficax esset. conarer 2
siquidem in animos adulescentum summa vi inserere, infigere, infulcire
amorem, amorem autem, immo vero ardorem potius litterarum vere
sacrarum. conarer ad legendum illas extimulare, ad perscrutandum
animare, ad meditandum, relegendum, *nocturna versandum manu,*
15 *versandum diurna*, ad insenescendum, ad immoriendum denique quanta
maxima possem vehementia inflammare. conarer dilucide explicare quis 3
fructus, quanta sit utilitas, immo vero necessitas etiam ipsam Scripturam
ut legant, de ipso fonte ut bibant. conarer postremo ostendere divinorum
eloquiorum quanta sit obscuritas, quam remota in ipsis eruditio, quae
20 sublimitas, quanta vel rerum vel verborum eloquentia, tum quae pietas,
quae sanctimonia, qui aculei, qui stimuli, quae flammae insint, cum in
omnibus quidem sacris codicibus, tum peculiariter in Paulinis epistolis.
quae omnia quaeque singula iure nos, omni seposito tum otio tum negotio, 4
impellerent ad alacriter suscipiendas ambabusque, quod dicitur, ulnis
25 amplexandas diviniloqui Pauli epistolas. haec summis eloquentiae ceu 5
fluctibus persuadenda sunt, inculcanda sunt, pertonanda sunt. nisi quis
forte ne tum quidem eloquentiam admittat, cum per eam ad honesta
flectimus; nisi in suadendis salutaribus, in commovendis ad optima ani-
mis, in excitandis ad pia affectibus lenti, frigidi, torpidi esse debeamus
30 ac sic loqui insuaviter, ut audire taedeat, sic improbabiliter, credere ut
non libeat, sic perplexe, ut intelligi non possit. verum hanc eloquentiam 6
nostrae provinciae parem ut proclive est optare, ita non est perinde
facile cuivis assequi. ego certe ingenue fateor vix tenuem umbram me

1 *§ 2 Hor. ars p. 269* . . . versate . . . || *§ 4 cf. Dorpius Epist. 4, 14–15 (ed. H. De Vocht, Monumenta 355–356)* obviis, ut dicitur, ulnis excepturi. *cf. Ov. Met. XI 63* cupidisque amplectitur ulnis || *§ 6 cf. Quint. X 1, 100* vix levem consequimur umbram

9 vodis **A** vobis **A** *in erratis f.* [*d vi*r] **B** || 27 *ma* Eloquentia adhibenda cum ad honesta flectimus || 28 commovendis **ABm** commonendis **Bi**

assecutum. at conabor tamen si non pro rei dignitate (quod quotus quisque possit?) certe pro nostra virili vos ad verae sinceraeque theologiae studium adhortari.

2, 1 Primum, ut in ceteris rebus omnibus, ita in studiis quoque maximi momenti est recto ordine studium instituere. magnum, teste Cicerone, 5 pondus habet ad bene vivendum prima institutio. et hoc verius nihil 2 quicquam dici potuit. at in bonarum studiis artium non minus refert qua ratione incipias, quoque ordine porro pergas. plures sunt qui multos annos litterariis laboribus impenderint quam qui studium recte instituerint. 3 neque enim idem est inchoasse studium et bene instituisse. qui certum 10 aliquem finem destinavit, quo tendat, qui ad illum refert quicquid legit, nec alia legit quam huc pertinentia, is recte studium instituit. porro, qui temere vagatur, nihil habens pensi quid legat, quid ediscat, multa modo legat multaque discat, is sese canum esse deprehendet et indoctum 4 esse mirabitur. paria sunt omnia facere, et nihil facere. quid stultius, 15 quid etiam perniciosius quam studium semper inchoare! at qui in nullo auctore, nullo in libro vel tantisper haeret, annon videtur tibi semper 5 studium inchoare? proinde recta ad terminum est eundum, scopus ipse petendus est. non referat quam multos legas, sed quam bonos. non multos, sed multum legas. pulchre, ut alia multa, ita hoc quoque Seneca: 20 6 *varia*, inquit, *lectio delectat, certa prodest*. tu curas forte quam diu cotidie libris haereas. cura potius quam bene! qui recta via disciplinas sectatur, ut plus voluptatis habet, ut plus fructus habet, immo ut solus fructum **3,** 1 habet, ita minus habet molestiae, minus taediorum. commodissima vero ad disciplinas est via, si ea vel sola vel certe praecipue sectemur, disca- 25 mus, meditemur quae prima sunt ac dignissima. apes non ex omni flore mel illud suum conficiunt, neque quemlibet item humorem exsugunt. primum delectum habent florum, deinde ex nobilissimis purissimum 2 liquorem extrahunt. et nos? an sine ullo discrimine, in quae fortuito inciderimus, ea in nostrorum testas ingeniorum instillabimus, seu futilia 30 sint ac nugacia seu fructuosa? salubriter monet Plato in Sophista 'cave', inquiens, 'o beate adulescens, ne in summum iacturae discrimen, quae 3 tibi carissima sunt, deducas'. nam longe gravius periculum est in disciplinis quam cibis emendis. etenim qui esculenta emit et poculenta, pot-

2 *§ 1 Cic. Off. I haec verba non habet; fortasse breviter reddunt 117–119?* || *§ 5 cf. Plin. Epist. VII 9, 15* aiunt enim multum legendum esse, non multa (*cf. Quint. X 1, 59*); *Sen. Epist. 45, 1* lectio certa prodest, varia delectat || **3** *§ 1 de apibus cf. Isocr. Ad Demon. 52* || *§ 2 Plato Soph., si recte viderim, haec verba non habet. cf. fortasse 238d?*

4 *ma* Maximam vim habet bene instituere studium || 5 *ma* Cice. primo Offici. **A** Cicero primo Officiorum **B** || 16 at qui **A** atqui **B** || 17. 18 semper studium **A** studium semper **B** || 19–20 *ma* Plini. Se. epistola ad Lucil. **A** Seneca. xlv epistola ad Lucil. **B** || 24 *ma* Praecipua primum discenda

est antequam iis vescatur in aliis quibusdam vasculis illa domum deferre, ibique deposita diligenter examinare, et advocato aliquo istarum rerum perito, quid edendum bibendumve sit, quid non, quantumque et quando deliberare. quamobrem haud grave est in emendo pe-
5 riculum. disciplinas autem non licet alio in vase transferre; sed necesse 4 est, qui eas emit, ut animo capiat et relicto pretio abeat, intra se ferens inquinatusque iam vel ad meliora provectus. videtis ex Platonis 5 divini philosophi sententia quantum referat quid discatis. infinita paene est unius artis capacitas, ut merito non vacet supervacua
10 sectari in tanta vitae brevitate, temporis velocitate et humani ingenii modulo. si praecipua ergo sectanda sunt in omnibus artibus, cur in **4, 1** theologico studio quicquam nobis est prius quam evangelica doctrina, aut huic dignitate proximae divi Pauli epistolae? esto alia minime sint negligenda; haec certe nemo negare potest esse praecipua, esse illis
15 incomparabilia. ex his aliisque canonicis scripturis (quamquam ex his tum copiosissime, tum certissime) hauriamus oportet quicquid firmum, solidum, inconcussum afferre paramus. cur non haec summa cura atque 2 adeo pia curiositate investigamus, quae nemo potest repellere, nemo potest negare esse verissima? citas mihi doctorem quempiam, citas
20 sanctorum Patrum aliquem, citas glosam quam vocant ordinariam, non ita me stringis quin liceat eluctari. ex una Scriptura sacra vincula nectimus, quae nemo perrumpat, quae nemo evadat.

Qui bonas litteras amant, omnia inter legendum non oscitanter ob- **5, 1** servant, si quod insigne verbum, si qua figura, si qua elegantia aut decus
25 orationis, si quod proverbium, si qua sententia memoria digna occurrat asterisco notanti. eisdem curae est dignoscere stilum Sallustii a Liviano, 2 Fabii a Tulliano, Terentii a Plautino. in his sedulo, vigilanter, attente versantur, neque vero parvo cum fructu. et nobis non est tantundem curae ut stilum ac phrasim epistolarum divi Pauli noscamus, magni
30 scribae Christi ac Dei secretarii? Aristotelem omnes fere nos quanta cura, 3 quanta pertinacia, quibus vigiliis ac sudore didicimus, non propositiones modo omnes, sed et voculas omnes, omnes syllabas, omnes (paene dixerim) apiculos excutientes! cui an merito tantum operae impendamus Christiani ethnico, non est huius loci disserere. sed cur otiosum videatur
35 aut alienum tantundem laboris impendere divo Paulo, gentium, hoc est patrum nostrorum doctori tanto meliori quantum Aristotelem vita sanctissima ac doctrina superavit? qua, quaeso, fronte Aristotelis dog- 4

§ 5 cf. Sen. Epist. 48, 12 quae dementia est supervacua discere in tanta temporis egestate || **4** *§ 2 vide Adnotationes* || **5** *§ 3 de studiis Aristotelicis lege Dorpii Orationem II*

13 *ma* Evangelia et Paulinae epistolae primum evolvantur || **20** glosam **A** glossam **B** || **26** Salustii **AB** || **27** sedulo **A** fedulo **B** || **30** *ma* Aristoteles

mata ad unum omnia memoria tenemus, et totus ab illa Paulus exulat? delectant in philosophis moralia, at in Paulo sunt heroica, sunt caelestia, sunt supercaelestia, quae nec ab homine accepit neque per hominem, sed 5 per revelationem Christi Iesu. capit philosophorum admirabilis sapientia? at Paulus *sapientiam loquitur inter perfectos, sapientiam vero non* 5 *huius saeculi neque principum huius saeculi, sed Dei sapientiam, in* 6 *mysterio quae abscondita est*. iuvant te acuta, subtilia, excelsa? humilia fastidis? certe in Paulo non desunt quae vel acutissimum ingenium exercere possint. Paulus *arma* habet *non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia* ut *destruant et omnem altitudinem* 10 *extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigant omnem* **6,** 1 *intellectum in obsequium* fidei. 'non me delectant', inquiet aliquis, ista tam aperta, tam manifesta ac obvia. obscura placent, in quibus operae pretium est versari ac operam insumere.' atqui divus Hieronymus, quaestione secunda epistolae ad Damasum, multa dicit esse indissolu- 15 2 bilia in Scriptura. et Augustinus quaedam in his affirmat inesse *ita obscure dicta* ut *densissimam caliginem obducant. quod*, inquit, *totum divinitus factum esse non dubito ad edomandam labore superbiam et* 3 *intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata vilescunt*. et ad Volusianum: *tanta est*, inquit, *Christianarum profunditas litterarum ut* 20 *in eis cotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. non quo ad ea, quae necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca,* 25 *intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quae intelligendae sunt, latet altitudo sapientiae ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cum consummaverit* 4 *homo, tunc incipit*. at alius 'absterreor', inquiet, 'difficultate obscuritate- 30

§ 4 Paul. Gal. 1, 12 || *§ 5 Paul. 1 Cor. 2, 6* . . . loquimur . . . saeculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei . . . || *§ 6 Paul. 2 Cor. 10, 4–5* . . . consilia destruentes . . . redigentes . . . obsequium Christi || **6** *§ 1 Hieron. Epist. 36, 10* ac primo aestimabam . . . (problema) indissolubile esse, sicuti et multa sunt alia || *§ 2 August. De doctr. Christ. II 10 (vi 7)* . . . totum provisum esse divinitus . . . renovandum . . . plerumque vilescunt || *§ 3 August. Epist. 137, olim 3 (Migne, PL 33, 516), i 3* . . . non quod ad ea . . . opacata . . .; *Eccli. 18, 6*

2 *ma* Cuiusmodi sunt quae Paulus tradit || **14** Hieronimus **A** Hieronymus **B** || **16** *ma* Multa in Scriptura insunt obscurissima. libro II de Doctrina christiana, capite VI **A** . . . secundo . . . sexto **B** || **19** revocadum **B** || **20** *ma* Epistola tertia (III **A**) || **21** eis in **A** in eis **A** *in erratis f.* [*d vi*r] **B**

que tum rerum tum sermonis litterarum sacrarum'. huic pro me Augustinus respondet *nihil*, inquiens, *fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur*. tu fac solum ut sis humilis, ut parvulus sis, et Scriptura quantumvis excelsa tecum erit parva inclinabitque
5 se ad mensuram capacitatis tuae. cavendum inprimis ne accidat nobis, 5
quod Augustino. *instituti*, inquit, *animum intendere in Scripturas sacras, et ecce video rem non compertam superbis neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam et velatam mysteriis. et non eram ego talis ut intrare ad eam possem, sed visa mihi est indigna, quam Tullianae*
10 *dignitati compararem. tumor enim meus refugiebat modum eius, et acies mea non penetrabat interiora eius, verumtamen illa erat, quae cresceret cum parvulis. sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar*. quod o utinam non multis nostro quoque saeculo ac- 6
cideret ut credant Scripturae sacrae humilitatem indignam esse in-
15 geniorum suorum plus quam Chrysippeo (ut ipsis videtur) acumine, indignam, in quam studium illi suum impendant! porro non deerit 7, 1
fortasse aliquis, cui cetera quidem omnia satisfaciant, solam in libris sacris eloquentiam requiret. profecto in Paulo inest eloquentia, non verborum solum, sed rerum summa, quae quidem multo est potior. ea, 2
20 inquam, in ipso est vehemens, efficax, flammea. neque enim loquitur Paulus, sed ardet, fulgurat, tonat, ima cordis petit, in intimas penetrat medullas. non dehortatur a vitiis, sed prosternit ea. verba quidem ipsa, quae legis, simplicia sunt, aperta, usitatissima, sed connexa sunt vivo ordine, flammeis aculeis, vim spirantia plus quam humanam. non mo-
25 vent, sed rapiunt; malorum animos invadunt, ruunt, fundunt et prosternunt. *nequeo satis*, inquit Hieronymus, *Scripturae laudare mysteria* 3
et in verbis, licet simplicibus, divinum sensum admirari. hac eloquentiae maiestate tot homines, tot civitates, tot regiones atque adeo maximam orbis partem ad Christum pellexit, hac plus triumphorum meruit, pluribus
30 subactis populis, quam Alexander ille domito Oriente, aut huius aemulator Iulius Galliis devictis. his ille gladiis, his tormentis, his machinis 4
portas tyrannorum ducumque gehennae confregit, diruit, demolitus est. his principes et potestates tenebrarum triumphavit, traduxit, in servitu-

§ 4 August. De doctr. Christ. II 15 (*vi 7*); mensura capacitatis *legitur etiam apud veteres auctores Christianos. cf. Thes. L. Lat. III s. v. capacitas, col. 300, 3 et 20* || *§ 5 August. Confess. III 9* (*v*) || *§ 6 cf. Erasmus Laus Stult. 53* (*Opera Omnia IV 3, 154, 454–455*) si cum magistrorum nostrorum plus quam Chrysippeis subtilitatibus conferantur || 7 *§ 3 Hieron. Epist. 39, 4* || *§ 4 cf. Paul. Eph. 6, 12* adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum

1 *ma* Non tam obscurae sunt litterae sacrae quin possint intelligi. libro II de Doctrina christiana, capite VI **A** ... secundo ... sexto **B** || 6 *ma* Libro III Confessionum, capite V **A** ... tertio ... quinto **B** || 12 cñ (= cnm) **A** cum **B** || 18 *ma* Eloquentia quae et quanta in Paulo || 26 Hieronimus **A** Hieronymus **B** | *ma* Epistola ad Paulam

5 tem adegit, vere triumphator, vere invictus, vere Augustus. at, inquiunt, ipse se Paulus fatetur sermone imperitum, etsi non scientia. hoc vero potissimum occinunt, qui nec scientia pollent et eloquentiam abominan-
6 tur, alioqui frustra et invitis Musis eam sectaturi. primum, quot locis Hieronymus affirmat Paulum id non serio prorsus affirmare, sed ceu 5 donando eis dixisse; et ut unum ex multis locum Hieronymi afferam, adversus Iovinianum: *quid ais*, inquit, *apostole? non tibi credo dicenti: 'etsi imperitus sermone, non tamen scientia.' quo modo illud de humilitate descendit: 'quia non sum dignus vocari apostolus', et 'mihi minimo omnium apostolorum' et 'tanquam abortivo', sic et hoc humilitatis dictum puto. nosti* 10 *sermonum proprietates. quamobrem et de Epimenide et de Menandro et de*
7 *Arato quaedam sumis testimonia.* deinde, ut maxime serio dixerit hoc Paulus, non sentit de eloquentia vera ac germana, sed de πολυλαλία quadam futili, qua se multi tum venditabant, aucupia et lenocinia tan-
8 tum verborum admirantes. Pauli vero (quod quidem negari non potest 15 nisi ab impudentissimo) eloquentia est virilis, cordata, mascula. ut ardent omnia, ut spirant divini pectoris flammas, ut vi quadam homi-
8, 1 nem extra hominem rapit ut, veteri exuto, novum induat! agite, dicant, qui Paulo eloquentiam non tribuunt, quidnam erat in causa ut Damasci recens ad Christum conversus Iudaeos confunderet, ora obturaret, 20 praedicans annuntiansque Christum, ut contra nec hiscere possent? miracula nondum edebat, id quod ex Actorum historia liquet, et Chry-
2 sostomus insuper affirmat. iam Athenis quanta putatis vi cum philosophis disserebat ut inclytum Dionysium Christo assereret? quid Eutychus ille adulescens, qua occasione decidit a fenestra, factus exanimis? annon 25 propterea quod in multam noctem Paulus eloquentissimam disserta-
3 tionem protraheret? Lycaones qua gratia Paulum putaverunt esse Mercurium, cum una adesset Barnabas, et ipse apostolus, et ipse linguis loquens, et ipse miraculis pollens? utrumque crediderunt esse deum. sed cur Paulum potius Mercurium? nimirum ob insignem eloquentiam, 30

§ 5 Paul. 2 Cor. 11, 6 etsi imperitus sermone, sed non scientia || *§ 6 Hieron. Adv. Iovin. I 250–251 (Migne, PL 23, 222 CD); 1 Cor. 15, 8–9* novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi. ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus . . .; *locos Paulinos, in quibus Epimenides, Menander, Aratus tacitis nominibus adferuntur, indicavit Hieronymus Comm. in Epist. ad Titum 1, 12 (Migne, PL 26, 571–572), et Epist. 70, 2* || 8 *§ 1 Act. 9, 19–22; Io. Chrysost. De dign. sac. (ed. Anne-M. Malingrey, Sources chrétiennes 272, Parisiis 1980) IV 7, 1–9* || *§ 2 Act. 17, 15–34; 20, 7–12* || *§ 3 Act. 14, 6–17 (cf. 11); Hor. C. I 10, 1* Mercuri, facunde nepos Atlantis

2 *ma* An Paulus imperitus sermone || 17 flammas **A** flammae **B** *praeter necessitatem. nam* omnia spirant flammas *recte dici potest. cf. Liv. 22, 17, 5* flammas spirantium (bovum) *et alios. editor Basileensis Ovidium Met. 8, 356* spiratque e pectore flamma *in mente habuisse videtur* || 19 *ma* Paulus eloquens fuisse ostenditur || 23 *ma* Libro de dignitate sacerdotii || 24 Dionisium **A** Dionysium **B**

quia (inquit Scriptura) *dux erat verbi*. neque enim continuo Mercurium
credidissent, qui utcunque disseruisset, verum qui supra humanum
modum omnium animos commovebat, hunc demum putaverunt *facun-
dum*, ut Flaccus ait, *nepotem Atlantis*. Ephesi, Corinthi, Romae an laturi **4**
5 fuissent, an audituri fuissent elinguem et verborum ineptam barbariem
evomentem? an biennium ei operam dedissent, si tam ineleganter dixisset
quam nunc plerique, ut neminem taedio non enecent? an balbutientem **5**
audituri erant viri Graeci, eloquentiae potissimum gloria conspicui?
annon continuo prima quoque periodo explosissent, vel citius etiam quam
10 Platonem Athenienses pro Socratis capite dicere incipientem? praecipue
cum res afferret ille incredibiles, ut videbantur, res ab omni humano
ingenio alienas, res omnium saeculorum consensu damnatas, atque eas
in speciem humiles. vel ad nos veniat, qui Latine velit orare, balbus, **6**
elinguis, infans, et dicat sane res dignissimas, communi sensui consen-
15 taneas: quis est auditurus, nisi qui proverbio locum faciat 'balbi balbos
rectius intelligunt'? pudeat iure eos, qui eloquentiam damnant, oderunt **7**
atque detestantur, cum Paulum constet tanta valuisse ut Hieronymus
eam imprimis praedicet, Augustinus rhetorum schemata in eo et pro-
phetis annotet, Chrysostomus summis efferat laudibus. et unus ut **8**
20 afferatur pro multis, quique unus sit instar multorum, Hieronymus
adversus Iovinianum: *Paulum*, inquit, *apostolum proferam, quem
quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua . . . videntur
quidem verba simplicia et quasi innocentis hominis ac rusticani, et qui nec
facere nec declinare noverit insidias. sed quocumque respexeris, fulmina
25 sunt; haeret in causa; capit omne quod tetigerit; tergum vertit ut superet,
fugam simulat ut occidat*. 'verum Paulo eloquentia divinitus fuit influxa.' **9, 1**
non infitior; sed an eo minus nos sectabimur humanam, quod Paulo
feliciter contigerit divina, cuius nobis non est spes magna consequendae?
divina an humana fuerit, quid refert? certe eloquentia fuit. et linguarum **2**
30 donum apostoli consecuti sunt divinitus largitore Spiritu sancto. ergone
nos linguas non discemus, si divinitus non donetur earum cognitio? cur
itaque quidam annos plus decem minus semilinguae didicere miserandam
balbutiem? non est satis doctori ecclesiastico ut doceat; etiam delectet **3**

§ 5 Diog. Laert. II 41 || *§ 6 Erasmus Adag. I ix 57 (LB II 360 DE); cf. Hieron. Epist. 50, 4* est quippe proverbium, balbum melius balbi verba cognoscere || *§ 7 Hieron. ut supra ad 7, 6; August. De doctr. christ. IV 28 (vi 10) sqq.; Io. Chrysost. De dign. sac. (ed. Malingrey), IV 6, 61–7, 40* || *§ 8 Hieron. Epist. 48, 13 (ed. J. Labourt t. II, 1951, 134–135)* || **9** *§ 2 cf. Act. 2, 1–13* || *§ 3 cf. August. De doctr. christ. IV 74 (xii 27)* dixit ergo quidam eloquens (*scil. Cic. Or. 69*) . . . ita dicere debere eloquentem ut doceat, ut delectet, ut flectat

3 demun **A** demum **B** || **4** Athlantis **B** | Chorinthi **A** | Rhomae **AB** || **5** elinguen **A** elinguem **B** || **9** *aut Dorpius erravit aut legendum est* prima quaque periodo *aut intelligendum* prima quŏque periodo, *quod minus probo* || **15** *ma* Proverbium || **16** oderunt **A** odertun **B**

necesse est ut audire ne taedeat; etiam flectat necesse est ut, quae didicerint auditores, opere exsequantur. alioqui quid refert didicisse, si
4 operis nullus sequatur fructus? nonne videmus eadem si dicantur aeque docta, aeque salubria, tamen hunc audiet populus, illum non audiet, non quod diversa sit res, sed quod aliter proponatur? plebecula quoque in 5 contionibus popularibus eloquentiam suspicit et a dicentis ore pendere
5 affectat: tam est grata res, tam popularis eloquentia. *sermo vester*, inquit Paulus, *semper in gratia sale sit conditus*. quidnam, optime Paule, si sapientiae sal esset (nam de illo, opinor, tu sentis), an ulla praeterea opus est gratia? ita vero opus est, inquit, ut placeas, ut gratus sis, ut in 10 hominum animos irrepas eosque tibi concilies, alioqui sine fructu dic-
6 turus. proinde licet videre et eos, qui ab omni seu eloquentia seu elegantia tam sunt alieni quam Pan ille rusticus ab Apollinis cithara; hos, inquam, videmus miro studio conari ut orationi suae decus aliquod affingant.
7 ergo duo sunt: res et eloquutio. Dionysius Areopagita gratias agit Deo 15 quod de divinis bene sentiat, quodque verbis convenientibus ea possit effari. primum quidem est recte sapere, proximum bene ac eleganter
8 dicere. quid enim prodest, fontem si domi habeas et desint canales, per quos aqua derivetur, aut canales ita sordeant ut aquam nemo non abominetur? tun' mihi cibum vel delicatissimum apponis lancibus oleto 20 infectis? tun' mihi vinum vel aromaticum misces pateris mucco oblitis? equidem vel frigidam malo meapte haurire manu. tu mihi rosam porrigis
9 caeno oblitam? quis non abominetur puellam ducere uxorem, cui male oleat anima? quem maritum admittat puella non ignobilis neque plane rustica, cui polypus sit in naribus? ea est humanae naturae conditio: 25
10 munditiam amat, sordes aversatur. et rebus omnibus cum sua sit munditia, an nulla erit orationi? an in ceteris omnibus sordes detestamur, in oratione etiam amamus, amplectimur, exosculamur, defendimus? quae Pallas istuc docuit? quo Apolline magistro ceu de tripode didicimus?
11 qui fit ut unius sermonis sordes amaricinum oleant, faex ut merae deliciae 30 esse videantur? aut quae ista est in hominibus suum natura ut caeno delectentur, munditiam oderint *cane peius et angui*? quis (malum) genius pectori humano tam praeposterum insevit iudicium, tam a se alienavit?
12 in sacris vestibus candorem amamus. sacrae patinae, calices, lintea nisi splendeant, quis non exclamet: 'facinus indignum! tun' sordidis sacrum 35

§ 5 Paul. Col. 4, 6 || *§ 7 cf. Cic. De Or. III 19* omnis ex re atque verbis constat oratio; *Ps.-Dionys. Areop. De div. nom. XIII 4 (Migne, PG 3, 981 CD–984 A). cf. Or. I 2, 14, 4* || *§ 8* oleto] *cf. Pers. 1, 112* || *§ 11 Hor. Epist. I 17, 30*

2 *ma* Eloquentia fuse laudatur || **15 Dyonisius A** Dionysius **B** || **26 aversatur A aversatut B**

perages? scelus!' amiculum si excipias, iubes illico verri omnia, purgari,
et *cum tota araneam descendere tela*. quae ista est in litteris malignitas ut
hic dumtaxat olida placeant? quis unquam isto laudatus est nomine quod
sorderet immundusque foret? atqui obest saepenumero eloquentia et ad **10, 1**
5 noxia pertrahit, dum vel nequitiam vel errorem suaviter in hominum
animos infigit, dum gladium ingerit melle litum, dum molles amores
conciliat, dum iustitiam armis iustitiae pervertit, breviter, dum candida
denigrat et nigra loquendo dealbat. verum est hoc aliquoties evenire. 2
verum, cedo, quisquis hoc affers, vis omnia tolli de medio, quae aliqua
10 occasione abutentium vitio nocent? vis gladios non cudi, quod non raro
in fraterna viscera stringantur? vis ignem non esse, quod pagos ac oppida
saepe pervadat incendium? vis mare non esse, quod nullo non anno tot 3
homines sepeliat? ne homines quidem esse sines. nam unde plus homini
quam ab homine mali, siquidem *lupus est homo homini*? ecquaenam est
15 vel optimarum rerum, qua non saepe adeo contingat vehementer abuti
vel ad gloriam vel ad invidiam vel ad oppressionem? quid amabilius, 4
quid iucundius quam liberos habere laetissima indole parentum imagines
referentes, possessionum et morum haeredes? verum hinc quam cotidie
quanta malorum Ilias et seges, si sint scelerati, si decoctores, si improbi!
20 ut angunt parentum animos, ut conficiunt! et parentibus rursum quid 5
non debent liberi? procreationem, educationem, divitias et quaecunque
dicuntur hominibus esse bona. at ii quam passim morosi sunt, anxii,
difficiles, tenaces, obstreperi, ut non raro praestet ubivis gentium quam
cum eis aetatem agere. vides ergo, bone vir, non continuo res esse malas
25 neque damnandas, quibus quorundam vitio contingit male abuti, quas
contingit casu esse perniciosas. non secus eloquentia cum sit bona, sit 6
utilis, sit necessaria, an una ipsa futura est communis omnium rerum
sortis expers, ut semper prosit, obsit nunquam? quis ita desipiat ut hoc
sapiat? bono rege quid queat esse salutarius? sed interim fit ut a tyranno 7
30 populus omnibus modis prematur. Scriptura sacra an quicquam datum
est hominibus a Deo praeclarius? atqui ea quam multi ad adulationem
abutuntur, ad vitiorum suorum velamen et praetextum, *ad excusandas
excusationes in peccatis*, ut laudetur peccator in desideriis animae suae
et iniquus ut benedicatur. legum optimarum praestantia quae non laus 8
35 est inferior? et harum tamen iniqua interpretatione quam multi insontes

§ 12 Iuv. 14, 59–61 hospite venturo cessabit nemo tuorum: / 'verre pavimentum, nitidas ostende columnas, / arida cum tota descendat aranea tela . . .' || **10** *§ 3 Plaut. Asin. 495* || *§ 4 Cic. Att. VIII 11, 3* tanta malorum impendet *Ἰλιάς; Erasmus Adag. I iii 26 (LB II 122 BC); cf. infra 13, 7* || *§ 7 Ps. 140, 4* || *§ 8 Plin. N. H. 29, 11* (infelicis monumenti inscriptio: turba se medicorum perisse) *et 18*

8 *ma* Non continuo mala habenda, quae aliqua occasione nocent || 14 *ma* Proverbium

indigne opprimuntur, dum vel iniqua fertur sententia, legum fuco
aequitatem mentita, vel aequa procrastinatur! medicinae peritia quam
est ab omnibus laudata, quam est omnibus salutaris, siquidem nemo non
medici saepe levatur ope. et unde, quaeso, verba illa: *turba medicorum*
perii, et quod ait Plinius: *nostris periculis discunt et per experimenta mortes* 5
9 *agunt.* liberalium artium studium, ut non est primum, ita sine eo maxima
constare non possunt. at, o Charites, quanta sophismatum plaustra huic
sunt invecta, quae nugae, quae quisquiliae, quae sordes extremae latri-
nae, quae barbaries, quae deliramenta ac Siculae gerrae, immo vero quae
insaniae ac mentium a communi sensu alienationes! ergone dialectica 10
non est bona, non est utilis adulescentibus, quod eius campos nimis
10 *infelix lolium et steriles* invaserunt *avenae*? negas? cur non idem est de
eloquentia iudicium? grammatica postremo, omnium maxime necessaria,
quas clades, quas calamitates saeculis abhinc aliquot est passa? quae
barbaries, quam olida, quam insulsa pervasit! quidnam igitur? an eam 15
quoque quo iure quaque iniuria eliminandam censemus, quod a quibus-
dam fuerit mire contaminata? quid? an priorem revocandam censemus,
quae Garlandinis, Ebrardis, Graecistis turgebat? cuius vel sola comme-
moratio stomachum moveat ac nauseam citet! nonne annis abhinc non
ita multis illi sua regna regnabant, ut ab eis omnia peterentur seu sacra 20
seu profana? at nunc qui potest vel reliquias eorum ostendat!

11, 1 Verum agite, an minus sapiunt theologi aut iurisconsulti aut medici,
quod illorum ducum praesidio destituti melioribus litteris sint instituti?
immo vero, quod negari non potest, tanto sapiunt verius et pede in-
2 offensiori per omne genus auctorum obambulant. alioqui quis intelligere 25
possit veteres auctores, qui bonarum sit litterarum praesidio destitutus?
ut enim quisque eorum est doctissimus, ita est et eloquentissimus et
omnibus Aegyptiorum opibus ditatus ecclesiam Dei locupletavit, tum
3 auro sapientiae, tum eloquentiae argento. et adeo non damnaverunt ut et
vehementer probarint et ad eam omnes sint adhortati ceu classicum 30
canentes. quorum antistes divus Hieronymus. quid attinet loca afferre,
in quibus eloquentiam, litteras bonas, linguarum peritiam laudibus
vehit, quando idem nusquam non facit? et si non faceret, tamen lucu-
lentissima eloquentissimaque eius opera quanti fecerit eloquentiam evi-

§ 9 sophismatum . . . latrinae] *cf. similia in or. III 3, 10; Verg. Buc. 5, 37* (nascuntur)*; Georg. I 154* (dominantur) || **11** *§ 2 cf. Gen. 45, 20* omnes opes Aegypti vestrae erunt*; August. De doctr. Christ. II 144–147* (*xl 60–61*)*; Erasmus Antibarbari* (*Opera Omnia I 1, 117, 11–13*) at si quod sapientiae aurum, si quod eloquentiae argentum, si qua bonarum litterarum supellex penes illos (= *ethnicos*) erit . . .

15 an cani **AB** an eam *scripsi* || 31 Heronymus **A** || 34 *ma* Hieronymus quantopere eloquentiam probarit

dentissime testantur. nisi forte parum probasse videri potest, in quo per 4
omnem usque vitam studiosissime versatus fuit. iam ad Paulinum scribens quantopere in eo eloquentiam laudat, atque eam Tullianam! eandem laudat in Augustino, in Hilario, in divo denique Paulo plus
5 quam eximie. in Ioviniano quam acriter barbariem taxat et sermonis 5
confusionem! in Apologia adversus Rufinum quantopere sermonis vitiis offenditur, cuius reliquis in rebus prudentiam ex dicendi ineptia vult aestimari. *stultitiam*, inquit, *mihi obiicere non potest, quem disertissimum et eloquentissimum in suis litteris praedicavit. alioqui stulta verbositas*
10 *rabulae potius et garruli hominis quam eloquentis putanda est.* porro 6
Augustinus nonne multis in locis haudquaquam frigide praedicat eloquentiam, ut quarto libro De doctrina Christiana: *cum*, inquit, *per artem rhetoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere adversus mendacium in defensoribus suis inermem consistere veritatem*, et alio loco:
15 *oportet ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere ut instruat et delectare ut teneat, verum etiam flectere ut vincat*, et aliis locis plurimis? idem exemplo ostendit quanta eloquentiae ubertate 7
divus Cyprianus pollebat, si uti voluisset. et de Scriptura sacra: *possem quidem*, inquit, *si vacaret, omnes virtutes et ornamenta eloquentiae ostendere*
20 *in litteris sacris. illud magis admiror et stupeo, quod ista nostra eloquentia ita usi sunt per alteram quandam suam eloquentiam ut nec eis deesset nec in eis emineret, quia eam nec improbari ab illis nec ostentari oportebat.* et 8
paulo superius: *hic aliquis forsitan quaerit utrum auctores nostri, quorum scripta divinitus inspirata canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt,*
25 *sapientes tantummodo an eloquentes etiam nuncupandi sunt. quae quidem quaestio apud me ipsum facillime solvitur. nam ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest.* sed **12,** 1
quorsum haec tam multa de eloquentia? primum, ut summorum virorum

§ 4 Hieron. Epist. 58, 8 librum tuum ... libenter legi ... genus eloquii pressum est et nitidum, et cum Tulliana luceat puritate crebrum est in sententiis ...; *ib. 10* sanctus Hilarius Gallicano cothurno adtollitur ... || *§ 5 Hieron. Adv. Iovin. I 1 (Migne PL 23, 211)* scriptorum tanta barbaries est et tantis vitiis spurcissimus sermo confusus; *Adv. Ruf. I 15 (ed. P. Lardet, S. Hieronymi Opera III 1, Corpus Christianorum 79, Turnholti 1982, p. 14)* ... in suis opusculis ... rabulae ... || *§ 6 August. De doctr. Christ. IV 4 (ii 3)* ... debere consistere ...; *IV 79 (xiii 29)* oportet igitur eloquentem ecclesiasticum ... || *§ 7 August. De doctr. Christ. IV 84 (xiv 31); 28–29 (vi 10) quibusdam omissis* || *§ 8 August. De doctr. Christ. IV 25 (vi 9) quibusdam omissis*

6 Ruffinum **B** || **10** rabulae *scripsi cum Hieronymo sensus causa* fabulae **AB** || **11** *ma* Augustinus quam praedicet eloquentiam || **12** *ma* 4° (Quarto **B**) de Doctrina christiana, capite X° (decimo **B**) || **15** *ma* 4° de Doctrina christiana, capite XIII **A** ibidem, capite decimotertio **B** || **18** *ma* ibidem, capite XIIII (decimoquarto **B**) || **19** *ma* ibidem, capite VI (sexto **B**); omnia ornamenta eloquentiae sunt in litteris sacris

auctoritate ostendam nihil minus verum esse quam quod quidam parum prudenter opinantur, absurdum fore et alienum, si theologiae studiosus litteras bonas, orationis munditiem atque adeo eloquentiam amplectatur.
2 deinde, ut omnes, qui liberalius educati elegantiarum litterarum studio capiuntur (quod hoc felicissimo saeculo mirum quam floreat!), ut ii, 5 inquam, tanto avidius litteras sacras discant, cum in eis quem amant dicendi ornatum intellexerint non solum non deesse, sed eminere etiam,
3 atque adeo in Paulo praecipue. quod cum ita prorsus habeat ut nisi ab impudentissimo negari non possit, quidnam obsecro nobis in mentem venit ut hoc omisso totam aetatem in aliis studiis conteramus, in illis 10 consenescamus, immoriamur? omnia legimus, omnia lustramus, omnia excutimus, tot grammaticos, tot historicos, tot rhetores, tot poetas, tot philosophos, adde etiam tot scholasticos, ut vocant, doctores. tam multis ac variis pectus occupamus, et Paulum ceu negligimus, quasi vero non
4 facturi pretium operae, si illi menses aliquot impendamus. qui Scotistae 15 sunt, glorientur Scoto, qui Thomistae, Thoma. cur non gloriamur potius esse Paulini? omnia studia priora ducimus, priora et discimus, antequam ad praecipua veniamus. atqui Quintilianus, gravis auctor, vult optima
5 primum esse percipienda. idem vult gravior auctor Augustinus, nempe ut sacra Scriptura prima sit, ne alienae opiniones imbecillem occupent 20
6 animum, id quod nostra tempestate non raro videmus evenire. itane diem ducimus ex die, nec vacat aliquando facere, quod et primum et semper erat faciendum? omnia legimus, et omittimus propter quod semel erant relinquenda omnia. quid retinet nos, quid moratur? quamdiu cum Augustino nondum converso dicemus *verba lenta et somnolenta*? 25
7 modo legam evangelia, modo Paulinas epistolas evolvam, iam prophetas inspiciam . . . ubi Scotum absolverim, ubi Thomam universum imbiberim . . . sed modo et modo nullum habent modum! ergone malesani quicquam ducimus prius aut antiquius evangeliis et apostolorum scriptis? negamus? at facto ostendimus, si quid prius discimus, si quid atten- 30 tius, si quid maiori cura.

13, 1 Iam quid dicam de iis, qui optimae aetatis florem, qui nobilissimos adolescentiae annos (quibus quid est fugacius?) Siculis gerris terunt? soli dialecticae (et o utinam foret dialectica, et non vilior alga sophistica!),

12 *§ 4 Quint. I 1, 11* praecipienda sunt optima . . . || *§ 5 August. De doctr. Christ. II 24 (viii 12)* erit . . . divinarum scripturarum solertissimus indagator qui primo totas legerit . . . quae appellantur canonicae. nam ceteras securius leget fide veritatis instructus, ne praeoccupent imbecillum animum || *§ 6 August. Confess. VIII 12 (v)*

4 elegantiarum **AB** *fortasse legendum est* elegantiorum, *nisi Dorpium L. Vallae* Elegantias *in memoriam revocasse mavis* || 11 *ma* Scripturam Sacram ut primum ac praecipue legamus || 19 *ma* Libro 20 (vigesimo **B**) de doctrina christiana, capite 8 (octavo **B**) || 25 *ma* 8 (Octavo **B**) Confessionum, capite 5 || 34 *ma* In sophisticen

huic ergo soli, nomine quidem dialecticae, re ipsa cavillatrici sophisticae vix maior pars vitae apud multos satis esse videtur, atque ea sane melior. in hac nisi Chrysippum longo superemus intervallo et ceu albis equis 2 praecurramus, nihil nobis actum esse videtur, nisi omnes omnium chartas 5 evolvamus, hoc est nisi solido decennio infelicissime ac sine ullo fructu nugemur. neque desunt complures, quibus unum decennium non est satis! quorum equidem vicem, teste Deo, doleo, qui rem pretiosissimam, nempe annos florentissimae aetatis, tam stulte perdant. nec perdidisse 3 satis est nisi et aliis auctores sint ut et ipsi perdant, quibus interea 10 minori studio maiorique oblectatione tantum licuisset consequi verae litterarum sacrarum eruditionis, quantum haud scio an unquam postea. adeo potior est, fructuosior et fertilior prima illa aetas nondum rerum curis immersa. cur omnem aetatem quaestiunculis de lana caprina et 4 ipsam asini umbram superantibus perdimus? cur sophisticarum captio- 15 num nullus est neque modus neque finis, sed perpetua quaedam argutandi, plicandi et replicandi libido et titillantis quidem, sed heu nimio constaturae vanitatis inanis oblectatio? itane iuvat imperitissimas 5 scientias et, quod ait Augustinus, fatuissimam sapientiam sectari? at quaerat aliquis: 'tun' damnas dialecticam?' bona verba, quaeso! nequa- 20 quam damno, quam a Cicerone, quam a Hieronymo, ab Augustino laudatam scio, qua et Apostoli et Christus ipse usus est. bona est, utilis est, adde etiam necessaria est sincera dialectica. quis neget? ergone illi soli vitam omnem dicabo, illi insenescam, illi immoriar? *quaedam didi-* 6 *cisse oportet*, inquit Seneca, *non discere*. non damno dialecticam, sed 25 nolim illam in studiis utranque paginam facere solam; quanto minus vilissimam illam ineptissimamque abecedariam sophisticen, qua nihil est conspurcatius, nihil aeque despuendum, nihil praeclaris ingeniis indignius, addo etiam nihil rectis studiis perniciosius, propterea quod, teste Seneca, *dulcedinem sui quandam faciat* et iuveniles animos irretiat, 30 stringat, moretur vanissimis naeniis, deliciis, vaframentis, captiunculis, bullatis cavillis, et quibus tandem verbis huiusce rei nugamenta, uti dignum est, explicem? adducerem sane otiosas aliquot sophistarum tricas, 7 et eiusmodi adducerem, quas nemo non continuo rideret. at mihi non videtur iocandi ridendive occasio, si consideremus quantam malorum

13 *§ 2 Hor. Sat. I 7, 8* ut equis praecurreret albis; *Erasmus Adag. I iv 21 (LB II 159 CF–160 A)* || *§ 4 Erasmus Adag. I iii 52 (LB II 132 CF–133 AD)* asini umbra; *Hor. Epist. I 18, 15* alter rixatur de lana saepe caprina (*cf. Erasmus Adag. I iii 53*) || *§ 6 Sen. Epist. 88, 2* non discere debemus ista, sed didicisse; *Plin. N. H. 2, 22* Fortuna . . . sola utramque paginam facit; *Sen. Epist. 111, 5* . . . sui faciunt et animum specie subtilitatis inductum tenent ac morantur || *§ 7* Iliadem] *vide supra ad 10, 4*

16 quidem **B** quidam **A** || 19 *ma* Utilis est dialectica

Iliadem ridicula ista et iocularia bene natis ingeniis afferant attulerintque aliquot iam saeculis:

8 *optima quaeque dies miseris mortalibus aevi*
prima

non labitur sed *fugit* 5

pernicibus alis,

et tibi vacat nugari? nec rationem arbitraris ullam Deo esse reddendam
9 tam inaniter impensi temporis? at ego sane puto vel maximam a Deo exigendam. tu nihil hic vides mali? at Augustinus vidit! *proposuit,* inquit, *quidam: 'quod ego sum, tu non es', et ille consensit. verum enim erat* 10 *ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, ille simplex erat. tunc addidit: 'ego autem homo sum'; quo admisso conclusit: 'tu igitur non es homo'. quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est: qui sophistice loquitur, odibilis est.* quod Scriptura,
10 tanto auctore teste, detestatur, illi tu meliores annos impendis? porro 15 Seneca, sanctissimus philosophorum atque inter ethnicos multo dignissimus Christiani hominis lectione, quam ubique taxat, contemnit, irridet insanas istas cavillorum meditationes, ut in epistula quadam salsissime: *mus syllaba est; mus autem caseum rodit; ergo syllaba caseum rodit. puta,* inquit, *me istud non posse solvere! quod mihi ex isto periculum imminet,* 20 *quod incommodum! sine dubio verendum est nequando in muscipula syllabas capiam aut nequando, si negligentior fuero, caseum liber comedat. nisi forte acutior est illa collectio: 'mus syllaba est; syllaba autem caseum non rodit; mus ergo caseum non rodit.' o pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est quod tristes docemus et* 25
11 *pallidi? . . . quid mihi lusoria ista proponis? non est iocandi locus.* captiones istae (quo enim nomine potius sophismata appellem?) nec ignoranti nocent nec scientem iuvant. et aliis locis compluribus in haec acuminum portenta plenis velis invehitur. quodsi has tam simplices captiones duo viri clarissimi, ut interim alios omittamus, tantopere damnant, quid 30 censendum sit de perplexissimis spinosissimisque et inexplicabilibus involucris ac meris insaniis, ad quas Chrysippus ille *ne my quidem*? quibus sophistae quidam ad ambas usque aures immersi, adolescentes

§ 8 Verg. Georg. III 66–67 et Aen. IV 180 || *§ 9 August. De doctr. Christ. II 118 (xxxi 48) quibusdam omissis aut mutatis* || *§ 10 Sen. Epist. 48, 6–8 paucis mutatis et paragrapho 7 ex parte omissa* || *§ 11* aliis locis] *Epist. 82, 8–9; 95, 13 etc.; cf. Ennius apud Varr. L. L. VII 101* dicit id quod minimum est: 'neque, ut aiunt, *μῦ* facere audent'*; Erasmus Adag. I viii 2 (LB II 303 DF–304 A)*

10 *ma* 20 (Vigesimo **B**) de Doctrina Christiana, capite 31. *typotheta Basileensis in errorem est inductus per illud* 20 *pro* 2°

quoque in easdem faeces torto collo pertrahunt. quod si quis forte captiosior sodalem suum paria sectantem nugamenta ita vepribus istis irretiverit ut exitum nullum inveniat, o quam triumphale id est, quanta gloria, non minor profecto quam si Gallias devicerit! 12

5 Iam vero omissa sophistice, quam multae media in theologia tractantur inculcanturque stultae et sine ulla disciplina quaestiones, quas Paulus tantopere praecipit vitari propterea quod lites generant. *si quis*, inquit, *aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est nihil sciens, sed* 10 *languens circa quaestiones et pugnas verborum.* ecce nihil scire dicit eum, qui litteras sacras non tenet; eundem languere dicit circa quaestiones, hoc est frigide, insulse, torpide alias super alias quaestiunculas inculcare et nihil habere vividum, nihil efficax ad convertendum animas. haec divi Pauli et alia in eandem sententiam plurima legens vehementer 15 demirari soleo qua fronte quidam miseras vexantes chartas tam multa deliria, profana, inepta, stulta, anilia, vaniloqua sacrae theologiae invexerint, quae tam accurate Paulus vetuerit, praesertim cum plurima sint eiusmodi ut magno labore nihil aliud assequare quam ut discas sciri non posse. de quibus Augustinus *nemo*, inquit, *ex me scire quaerat, quod* 20 *me nescire scio, nisi forte ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est.* quaedam enim *nesciendo sciuntur* et doctius nesciuntur quam sciuntur. et ut sentiamus de cuiusmodi quaestionibus loquatur, unam afferam ex duodecimo libro De civitate Dei: *si respondero*, inquit, *eis qui quaerunt quomodo Deus semper fuerit Dominus, cum creatura serviens ei non semper* 25 *fuerit* – ecce illa est quaestio; sed quid respondet? – *vereor*, inquit, *ne facilius videar affirmare, quod nescio, quam docere, quod scio, ut qui haec legunt videant a quibus quaestionum periculis debeant temperare nec ad omnia idoneos se arbitrentur, potiusque intelligant quam sit Apostolo obtemperandum praecipienti salubriter, ubi ait: 'dico autem per gratiam* 30 *Dei, quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.'* hoc exemplum si declaret quae

[margin: 14, 1 (line 5); 2 (line 10); 3 (line 13); 4 (line 19); 5 (line 22); 6 (line 31)]

§ 12 cf. Erasmus Laus Stult. 49 (Opera Omnia IV 3, p. 138, 259–264) iam adde et hoc voluptatis genus: quoties istorum aliquis . . . voculam vulgo incognitam . . . deprehenderit . . . o Iupiter, quae tum exultatio, qui triumphi, quae encomia perinde quasi vel Africam devicerint vel Babylonias ceperint! || **14** *§ 1 Paul. 1 Tim. 6, 3–4* || *§ 4 August. Civ. Dei XII 7* || *§ 5 August. Civ. Dei XII 16 valde libere laudatus (cf. ed. E. Hoffmann, Corpus Script. Eccl. Lat. p. 594, 15–29); Paul. Rom. 12, 3*

3 *ma* In frivolas quorundam scriptorum quaestiunculas || 6 *ma* 1. Timo. 6 **B**, *non habet* **A** || 16 deliria **AB** *fortasse legendum est* delira || 19 *ma* 12 (Duodecimo **B**) de Civitate Dei, capite 7 || 22 *ma* Cuiusmodi quaestiones Augustinus censeat esse vitandas. capite 15. ibidem (ibidem capite 15 **B**) || 29 *ma* Rom. 15 **B**, *non habet* **A**

sint quaestionum pericula, nemo opinor nostrum non facile perpendat quam multa interim irrepserint non pericula, sed naufragia quaestionum. idem pulchre prosequitur Chrysostomus ille non ore tantum aureus, homilia 7 secunda in Epistolam ad Hebraeos, sed supersedeo. ex quibus colligere possumus quam perperam, quanto cum dispendio sua studia instituant, 5 qui optimas horas nugacissimis blateramentis terunt, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes; qui non acquiescunt Christi sermonibus, sed suis inventiunculis, suo ingenio assidua opinionum scabie prurienti, cuncta definientes ac propemodum iurantes quicquid ipsi ulla evasione, ullis technis ac strophis, ullo fuco ac fumo a contradic- 10 8 tione, ut ipsi loquuntur, tueri possunt. unde quantum sit exortum mali, quam pestifera invaserint dogmata non est explicandi tempus. hoc, inquiunt, peccatum est, hoc mortale est, illud leve, hoc gravissimum, illud inexpiabile, hominum traditiones, nihil aliud, afferentes. quod si quis contra musset, o deus, quanta verborum pugna, quae digladiatio, quae 15 9 bella! sed cur non in omnibus Scripturam sacram consulunt atque ad illius gnomonem ac regulam definiunt? *vae*, inquit Dominus, *filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum! . . . qui ambulatis ut descendatis in Aegyptum, et os* Domini 10 *non interrogastis*. non interrogant os Domini, qui e suo capite pronuntiant, 20 sed qui Scripturae oraculum afferunt, in qua etiamnum os Domini loquitur, docet, arguit, increpat, hortatur, consolatur. atque hoc vult 11 interrogari Dominus. quod quidem eleganter, ut alia, Augustinus Contra Donatistas affirmat: *non afferamus*, inquit, *stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus pro arbitrio nostro dicentes 'hoc grave* scelus *est, hoc leve'*, 25 *sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis* et *tanquam de thesauris divinis, et illa quod sit gravius appendamus, immo non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus*. et decimo Confessionum: *optimus minister tuus est, Domine, qui non magis intuetur hoc a te audire, quod ipse* 12 *voluerit, sed potius hoc velle, quod a te audierit*. et Hieronymus in Commen- 30 tariis in Epistolam ad Ephesios: *omni studio legendae nobis Scripturae sunt, et in lege Domini meditandum die ac nocte, ut probati trapezitae scia-*

§ 6 Io. Chrysost. Hom. II in Epist. ad Hebr. 1 (Migne, PG 63, 19–20) || *§§ 7–8 vide Adnotationes* || *§ 9 Is. 30, 1–2 (partim)* || *§ 11 August. De bapt. contra Donatistas II 6, 9 (Migne, PL 43, 132)* . . . quod volumus et quomodo volumus . . . hoc grave est . . . de thesauris divinis et in illa quid . . .; *Confess. X 37 (xxvi) addito verbo* Domine || *§ 12 Hieron. Comm. in Epist. ad Ephesios III ad c. 4, 31 (Migne, PL 26, 517 B)* . . . quis adulter

11 loquntur **A** || **16** *ma* Ut ex Scriptura definiamus, et non ex hominum traditionibus || **17** *ma* Esaiae 30 **B**, *non habet* **A** || **23** Agustinus **A** || **24** statheras **AB** || **26** statheram **AB** || **28** primo Confessionum **AB** decimo Confessionum *scripsi. error natus esse videtur apud typothetam Antverpiensem, qui* 10 *legit ut* 1°. *cf. similem errorem in nota ad p. 76, 10*

mus quis nummus probus sit, quis adulterinus. haec eo pertinent ut ex 15, 1
Scripturae ditissimo penu requiramus quid praeceptum sit et quid vetitum. illas legamus, illas cantemus, illas meditemur ut, quod de se dicit Hieronymus ad Principiam, *ipsa Scriptura meditatione diuturna in*
5 *naturam vertatur.* et praestemus saltem viri, saltem studiis mancipati, 2
saltem theologi, quod de virginibus a Paula sua congregatis idem scribit Hieronymus ad Eustochium: *non licebat*, inquit, *cuiquam sororum ignorare psalmos et non de Scripturis sanctis cotidie aliquid discere.* quo in loco miror quid dicturi sint qui putant nefas esse ut mulieres ullae
10 Scripturam attingant, cum Hieronymi saeculo tot fuerint feminae multis theologis eruditiores! proinde vobis consulo, quotquot praeclaro estis 3
ingenio adulescentes, atque adeo consulo ut vehementer adhorter, ut orem ac per omnia vobis cara, per omnia amica obtester ut quamprimum omnibus sepositis ad ipsos Scripturae sacrae fontes advoletis, ut purissi-
15 mas divinorum eloquiorum aquas bibatis, omissis sophisticis nugis, in quibus nihil est bonae rei, nihil eruditionis, nihil quod vel cerdo amet. hoc si persuasero vobis, optimi adolescentes, videbor mihi non parum 4
bene meritus cum de vobis tum de litteris sacris deque re publica Christiana: de vobis, quibus auctor fuero ne posthac rem omnium pretiosissimam
20 parcissimeque impendendam, nempe tempus, otiosis nugamentis tam misere perdatis, cuius semel perditi iactura nunquam potest resarciri; de litteris vero sacris, quod non ita indigne sophisticis nugis contaminabuntur uti aliquot iam saeculis factum fuisse videmus; de re publica postremo Christiana, cui multo plures hac via contingent viri docti
25 atque ex Dei lege, non hominum somniis, salubriter populo Dei consulturi. credite mihi, quaeso, adulescentes, credite hoc vel maxime in rem vestram 5
esse. si non credideritis nunc amicissime admoniti, olim credetis, sed cum serum erit, et sic credetis ut sitis et deploraturi. neque hic aliorum 6
exemplo abducamini neque dixeritis: 'iste studiorum sophisticorum
30 cursus apud multos receptus est. quid mirum, nos si faciamus quod maiores natu, quod prudentiores fecere?' *inter causas malorum*, inquit Seneca, *est quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed similitudine abducimur.* quod si pauci facerent, nollemus imitari; cum plures 7
facere coeperunt, quasi honestius sit quia frequentius, sequimur. et recti
35 apud nos locum tenet error, si publicus factus est. quid aliorum exemplo imitandum ratiocinamini, quod fecisse se doctissimos quosque scio

15 *§ 1 Hieron. Epist. 65 ad Principiam (ed. J. Labourt, t. III, 1953) haec verba non habet, nisi ad § 5 referuntur, quod vix credo* || *§ 2 Hieron. Epist. 108, 20 seu Epitaphium Paulae (ed. J. Labourt, t. V, 1955, 185–186)* || *§ 6 Sen. Epist. 123, 6 ...* sed consuetudine abducimur

10 atingant **A** || 24 continnagent **AB** contingent *scripsi* || 34 ceperunt **A** coeperunt **B**

deplorare? an mavultis errantium prius errorem imitari quam nunc 8 aetate plus sapientium poenitentiam? ergo omnibus nobis persuasum sit, si ulla incantatione moveri possimus, nullum fore Deo gratius sacrificium, ne si oremus quidem totos dies, quam si secundum evangelia epistolis divinissimi Pauli legendis, ediscendis, retinendis, praedicandis, semper in pectore, semper in ore gestandis gnavam demus operam. 9 gloriantur sui quique doctoris titulo. verum hic doctor gentium est in fide et veritate, vere irrefragabilis, cuius est evangelium *non ab homine* neque per hominem, *sed per revelationem Christi Iesu.* hic est doctor plus quam angelicus, qui ipsis etiam angelis anathema minatur, si secus atque ipse evangelium annuntiaverint. hic est doctor vere subtilis, qui *in captivitatem redigit omnem intellectum in obsequium* fidei. hic est doctor vere seraphicus, qui *in paradisum raptus audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* hic vere mellifluus est doctor, qui ita suavis est, amabilis et 10 benignus ut omnibus per omnia placeat. hic vere gloriosus est doctor ecclesiae, cuius tanta est gloria ut ei *mori* sit satius *quam ut* per *gloriam* suam *quis evacuet.* hic vere magister est sententiarum, qui *sapientiam loquitur inter perfectos, non* quidem *sapientiam huius saeculi neque principum huius saeculi, sed Dei sapientiam, in mysterio quae abscondita est.* 11 quicquid ceteri doctores sigillatim habent dotis, hoc omne in Paulo multo cumulatius invenias, ut paene nefas sit ullam inter eos comparationem admittere. at hoc non sentiunt, qui perpetuis quaestionum inutilium **16,** 1 labyrinthis sese involvunt. ceterum ausim pio ac studioso epistolarum Pauli lectori hoc unum polliceri, nihil eum quicquam tam admirandum, tam vehemens, tam eruditum, pium, suave in quocumque codice (evangelia par est excipere) deprehendisse quod non multo copiosius inveniet in paucis his epistolis Paulinis, si modo iterum atque iterum legat, si excutiat, si rimetur. altera lectio semper gratior erit priore atque altius in pectus 2 insidet. adhuc torpemus? nondum accendimur nec properamus ut experiamur saltem num vera sint, quae tam eximia omnes Christianae eruditionis antistites de Paulo praedicant? summa est: ille se plurimum profecisse gaudeat, cui Paulus valde placebit, cui gratus, iucundus, melle 3 suavior erit. rursus dico, quod altissime velim in intimos pectorum vestrorum recessus insidat: ille se plurimum profecisse gaudeat, cui Paulus, magnus ille minimus apostolorum Paulus, valde placebit. nam quid utilius, quid item iucundius quam caelestes illas, quas totus inculcat, divitias meditari, illis invigilare, illis indormiscere, in illis otiari, in illis 4 negotiari, in illis esse totum? quid amabilius, quid expetibilius quam in

§ 9 vide Adnotationes; Paul. Gal. 1, 12; 1, 8–9; 2 Cor. 10, 5; 12, 4 || *§ 10 Paul. 1 Cor. 9, 15; 2, 6–7* || **16** *§§ 2–3 cf. Quint. X 1, 112* ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit || *§ 4 cf. Paul. Rom. 8, 35*

7 *ma* Paulus omnibus praefertur doctoribus || 18 quidam **AB** quidem *scripsi*

Paulo ardores illos, illos ignes, illas flammas charitatis legere, in pectora
nostra penetraturas, a qua Christi charitate nihil eum separare potuit
quicquid intentabatur mali. *certus sum*, inquit, *quia neque mors neque* 5
vita neque angeli neque principatus neque virtutes neque instantia neque
5 *futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia*
poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.
o vere nobile pectus, in quo omnibus praestantior rebus divina charitas 6
ita aestuabat, ita ardebat, ita regnum possidebat! quid dicam de amore
in proximos Christiano? qui eum quinquies flagellaverant, qui catenis
10 oneraverant, qui vinculis constrinxerant, qui cruorem anheli sitiebant,
illos quam accurate excusat, *testimonium*, inquiens, *perhibeo illis, quon-* 7
iam aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. pro illis erat,
fratres, inquit, *voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro*
illis in salutem. pro illis optat *anathema esse a Christo*; pro illorum salute 8
15 esurivit, sitivit, nudus fuit; et quid mali non est passus ut salvos faceret
saltem aliquot ex illis! sicut quod docuit, ipse semper praestitit, quo vel
uno dignus foret fide.

Hunc ergo his feriis aestivis quanta maxima poterimus diligentia ac **17,** 1
perspicuitate enarrabimus. quid aliud queam polliceri? scio me multis 2
20 destitui, quae ad hanc provinciam forent accommodatissima, nempe
eloquentia et Graecae linguae peritia, propterea quod Paulus procul
dubio Graece scripsit. quam linguam utinam tam fortunatus fuissem ut
licuisset discere! cuperem non exiguam pecuniae summam dependere, sed
litterae marsupium non sequuntur, ut vero verius inquit Hieronymus.
25 neque enim audiendos censeo quosdam, qui linguae Graecae cognitionem 3
perparum afferre momenti existimant ad Novi Testamenti explicationem.
nam hoc si habet, quid est quod Hieronymus, Augustinus, Ambrosius
totaque corona veterum eorundemque clarissimorum auctorum toties
hortantur ut Graeca exemplaria et archetypa inspiciamus? et de Hierony- 4
30 mo quidem quod hoc senserit nemo dubitabit, qui decem modo paginas
ex omnibus eius clarissimis operibus legerit. nam ubi id omnis eruditionis
antistes vel in epistolis vel sacrorum codicum praefationibus non incul-
cat, suadet, hortatur et ipse, quod maiorem vim habet, facit? porro 5
Augustinus quam crebro et quam non dissimulanter idem affirmat: *ut*
35 *veterum*, inquit, *librorum fides de Hebraeis voluminibus examinanda est,*

§ 5 Paul. Rom. 8, 38 || *§ 6 Paul. 2 Cor. 12, 23–25* || *§ 7 Paul. Rom. 10, 2, dein 1 inverso verborum ordine* || *§ 8 Paul. Rom. 9, 3* || **17** *§ 2 Hieron. Adv. Ruf. I 17 (ed. P. Lardet, Hieronymi Opera III 1, Corpus Christianorum 79, 16, 36–37 = Migne, PL 23, 411 B)* || *§§ 3–5 cf. Adnot. ad Or. I 2, 2, 5; August. Civ. Dei XV 13 in fine*

1 *ma* Pauli charitas in Deum || 8 *ma* Pauli amor erga proximos || 9 Christianos **AB** Christiano *Hansen* || 11 acurate **A** || 25 *ma* Linguae graecae cognitio plurimum confert ad enarrationem (enerrationem **A**) Novi Testamenti || 35 *ma* Augustini sententia de linguarum utilitate et codicibus sacris emendandis

ita novorum veritas Graeci sermonis normam desiderat. et De civitate Dei, libro XV: *ei linguae potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta* 6 *translatio.* rursus De doctrina Christiana, libro II: *et Latinae quidem linguae homines, quos nunc instituendos suscepimus, etiam duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent* linguis, *Hebraea scilicet et Graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, siquando dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas*; et alio loco eiusdem libri: *libros autem Novi Testamenti, si quid in Latinis varietatibus* 7 *titubat, Graecis cedere oportere non dubium est.* et Ambrosius De Spiritu sancto, libro II: *Quodsi quis*, inquit, *de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt, Graecos inspiciat codices.* horum auctoritas virorum extra omnem ingeniorum aleam positorum **18,** 1 si cui levis est, ab eo haud scio quid grave censeatur. ceterum, quoniam non desunt, qui neotericorum magis testimonio moventur, ut est suus cuique sensus, adducamus et huius farinae testem neutiquam contemnendum. is sit doctissimus suo saeculo pariter et vigilantissimus Petrus Aliacensis, qui hac de re libellum scripsit, non impressum quidem illum, quod sciam, sed quem nactus sum ex bibliotheca monasterii divi Martini 2 Lovanii. in quo cum plurimum omnino tribuat vulgatae editioni, re tamen ipsa coactus tandem annectit: *propter exempla corruptionis, quae in Biblia inveniuntur, et alia multa huiusmodi expediret exemplaria sacri canonis examinari diligenter et corrigi. ad quam correctionem non sunt omnes indifferenter admittendi, sed solum theologi multum in grammatica et linguis Hebraea ac Graeca eruditi. quia enim multi in his minus periti propria auctoritate corrigere praesumpserunt, multi scandalosi errores et corruptiones secutae sunt. et in hoc, prout in pluribus aliis utiliter providendis, multum negligenter se habet Romana ecclesia et habuit prioribus tem-* 3 *poribus.* eant nunc qui dicunt Augustini Hieronymique saeculo oportuisse Latinos codices ad Graecam veritatem castigari, nunc non licere, cum Aliacensis vir tantus, cui ipsi certe plurimum tribuunt, idem censeat suo saeculo fieri debuisse, cum in hanc nostram editionem fateatur errores et depravationes irrepsisse, quin et ipse exempla quaedam depravationis 4 adducit, quae licet videre in libello, quem citavi. quo fit ut distinctiuncula, qua elabi volunt quidam, non faciat satis, quod olim quidem castigare licuerit, nunc idem non liceat. nam quae in nostra sunt editione plurima Hieronymus reprehendit; quorum aliqua eximius vir Iacobus Fa-

§ 6 August. De doctr. Christ. II 34 (xi 16): . . . nunc instruendos . . .; *56 (xv 22)* || *§ 7 Ambros. De Spir. sancto II 5, 46 (ed. O. Faller, Corpus Script. Eccles. Lat. LXXIX, 1964, 103–104)* || **18** *§ 2 vide Adnotationes* || *§ 4 vide Adnotationes*

1 *ma* capite 13 || **3** *ma* capite 11 || **8** *ma* capite 15 || **10** *ma* capite 6 || **16** *ma* Cardinalis Cameracensis sententia de codicibus sacris castigandis || **23** thelogi **A** || **36** *ma* Iacobus Faber

ber annotavit, et Augustinus ac Ambrosius multo plura secus legunt. quod si fateamur — quod res est neque negari potest nisi a Hieronymo ac semel ab omnibus veteribus auctoribus sacris dissentiamus —, si fateamur, inquam, nostram translationem passim esse vitiatam, unde quaeso potius castigetur quam ex Graecis codicibus, a quibus ceu fontibus defluxit? 'atqui', inquiet aliquis mihi, 'tu non meministi, quid olim in epistola quadam eruditissimo domino Erasmo Roterodamo scripseris, quam sedulo nisus fueris alteram sententiam defensare?' memini probe, sed ne *longos logos* neve me vertam huc aut illuc, paucis recanto suffragium. tum sic sentiebam, nunc nihil minus. nam qui potui aliter quam didiceram? verum simul atque veteres theologos accuratius denuo percurri et ea item legi, quae doctissimi quique huius tempestatis scripserunt, praecipue longe eruditissimus vir Thomas Morus, perpetuum suae Britanniae decus, in epistola quadam ad me sua, continuo mutavi sententiam, neque dubitem quin mutaturus sit quisquis non omnino bonarum litterarum rudis proprie hanc rem vestigarit, de qua libellum composui, quem Lovanii in schola publica theologiae studiosis praelegi. et eram insuper in disputationibus, quas vocant Quotlibeticas, de eadem responsurus, id quod complures eruditi probe norunt ac testari queant, ni veritus fuissem ne quorundam aures novitas offenderet, a me praesertim profecta homine (ut ipsis visus sum) novo. mirum est enim ut quidam ingenia ceu vina aestimant, potiora aestimantes quae antiquiora sunt. sperabam tum et videbar mihi ceu e specula videre sensim ceteros quoque idem sensuros, ubi propius animum ad haec advertissent, quemadmodum fit non raro ut qui libros legit, non sentiat prius in eis hoc aut illud quam controversum fuerit. sed quia rem video in diversum exiisse, visum est quid de hac re sentiam, quid lectione deprehenderim paucissimis aperire, quae latius in libello meo explicata aliquando Deo opitulante sum evulgaturus. iam quod quidam ipsa coacti veritate probant ut Latini codices ex Graecis castigentur, at iidem nolunt novam fieri translationem ne videlicet Scripturae vacillet auctoritas, diversa si ferantur exemplaria, quid quaeso hic est periculi amplius quam fuerit Augustini tempestate, qua, ut ipse testatur, tot erant interpretes ut numerari nullo modo possent, nec ea res, inquit, impedivit intelligentiam, sed adiuvit. *nam*

§ 6 cf. P. S. Allen, Opus Epistolarum Erasmi II 304 (Lovanii ca. 15 Sept. 1514), in altera parte; 347 (Lovanii 27 Aug. 1515), 337–339; Plaut. Men. 779 || *§ 7 The Correspondence of Sir Thomas More. Edited by Elizabeth Fr. Rogers, Princetonii 1947, 27–74 n° 15. vide et bibliographiam supra sub Camporeale, Cooper et Kinney* || **19** *§ 3 August. De doctr. Christ. II 36–37 (xi 16–xii 17); 52 (xiv 21)*

7 *ma* Erasmus Roterodamus || **13** *ma* Thomas Morus || **18** de eadem **A** & eadem **B** || **28** *ma* Libellus Dorpii de codicibus sacris castigandis || **30** *ma* Varietas translationum prodest || **33** *ma* 20 (Vigesimo **B**) de Doctrina christiana, capite 11. *iterum* **B** *emendes* Secundo. *cf. p. 76 et 78*

nonnullas obscuriores sententias plurium codicum saepe manifestavit inspectio. et alibi: *plurimum hic quoque iuvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta atque discussa*. Augustinus, vir tantus, plurimum conferre ait translationum varietatem, et nos fortiter contra vociferamur? neque enim nunc minus utilis est futura quam tum erat. nam unde aut qua causa? annon vel maxime tum erat opus codicibus emendatis et nusquam discrepantibus, si fieri potuisset, cum esset cotidie cum haereticis conflictandum eloquentia ac eruditione nequaquam vulgari praeditis, ad haec principum saecularium praesidio munitis. quid, quod inter ceteras translationes nostra quoque tum extabat vel hoc argumento, quod Hieronymus in ipsam suos scribit Commentarios Epistolarum Pauli. ea si omni ex parte absoluta est, cur non unam amplexati sunt viri docti iuxta ac sancti? an non videbant scilicet, quod nos lyncei videmus? cur eam audet Hieronymus tot locis arguere corrigereque? cur aliam sequitur Ambrosius eamque longe diversam? cur neoterici theologi toties aliam citant interpretationem seu, ut ipsi dicunt, 'literam', atque inter hos praecipuus divus Thomas, an uno loco hoc facit? Nicolaus Lyra in Veteri Testamento quam prope infinita loca convellit atque ex Hebraeorum codicibus immutat, et quis clamat 'indignum facinus'? et Hebraicam veritatem nonne passim citant omnes in rebus admodum seriis? nonne reverendissimus dominus Cardinalis Dartusensis ex xxiii Exodi Hebraicam veritatem citat: *non declinabis post Rabbim ad malum, et non respondebis in iudicio post Rabbim ad peccatum*. et Quaestione quarta sententiam Alexandri Hales ex Hebraica veritate reiicit. item Quaestione octava, quod nos legimus *absit a te, Domine, non erit tibi hoc*, indicat significantius legi Graece: *propitius sis tibi, Domine*, atque ita sane vertit dominus Erasmus. porro psalterii nonne varias translationes semper admisit ecclesia Dei? nonne alia est, in quam scribit Augustinus, alia qua utimur vulgo, et haec ipsa nonne variat passim? nonne patres Benedictini legunt: *sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum*? et ita habet Hebraica veritas, sic Septuaginta, sic Hieronymi Commentarii, cum nos legamus *fontem vivum*. verum quorsum unum adducimus locum, cum sint prope innumeri? triplex psalterium, quod Iacobus Faber evulgavit, nonne in plurimis bibliothecis paene religiose servatum est multis adeo saeculis? certe

§ 7 Hadrianus Florentius Quaestiones Quodlibeticae. vide plura in Adnotationibus; Exod. 23, 6; Erasmus Novum Instrumentum: Evang. Matthaei 16, 22 propitius tibi sis, Domine, nequaquam erit hoc tibi (*LB VI 90*) || *§ 8 Ps. 41, 3* fortem, vivum *in editione iuxta Vulgatam Clementinam*

2 *ma* Eodem libro, capite 14 || 10 *ma* A vulgata editione fas est discrepare || 15 *ma* Neoterici saepe aliam interpretationem citant. Thomas. Lyra (N. Lyra **B**) || 21 *ma* Cardinalis Dartusensis | ex xxxii **A** ex capite vigesimotertio **B** ex xxiii *scripsi* || 22 Rabim **A** Rabbim **B** || 23 quarta **AB** *pro* quinta, *incertum Dorpiine errore an typothetae*

monasterio insigni Haecmundensi dono fuit datum a fratre primi comitis Hollandiae, archiepiscopo Treverensi, annis abhinc plus septingentis. omnes veteres innumera Scripturae loca semper varie citaverunt. quid inde periculi fuit unquam ecclesiae Dei? si nullum unquam fuit, cur nunc 5 magis futurum est?

Neque enim audiendi sunt, qui fatentur Hieronymi Augustinique **20, 1** saeculo integra fuisse Graeca exemplaria, at nunc subortis in Graecia haeresibus ac longo schismate nihil esse fidendum illorum codicibus, cum verisimile sit ecclesiam Latinam, quae ab omni errore pura persevera- 10 verit, maiorem multo diligentiam adhibuisse conservandis integris sacris codicibus. ut in medio hoc relinquamus, utris maior fuerit cura 2 codices servandi incorruptos, Graecisne an Latinis, certe Aliacensis Cardinalis fatetur ecclesiam Romanam in hoc fuisse indiligentem. et nostram editionem omnino constat non esse incorruptam. quod qui tot 15 documentis nondum credit, is quaeso legat veteres, aut si legerit, denuo hanc rem proprie vestiget, et nihil dubito quin sit illico sententiam in diversum mutaturus. iam de Graecis codicibus depravatis non potest 3 negari quin alicubi mendae quaedam irrepserint; quod et Hieronymi saeculo contigerat, neque hoc deterruit tamen virum sanctissimum quin 20 ex eis castigaret nostros. etenim mendae in eundem locum non semper incidunt neque omnia exemplaria easdem habent; quin saepenumero quod vitiatum est apud nos, ipsi habent integrum, quemadmodum contingit ut duos codices depravatos alterum ex altero restituamus. denique ut sunt alicubi mendae apud Graecos, ita multo sunt pauciores. porro de 4 25 schismate quod afferunt, tot synodis actum est cum Graecis, toties revicti sunt, toties redierunt ad ecclesiam, neque unquam memini me legere accusatos fuisse quod codices vel corruperint studio vel corruptos etiam habeant magis quam nos. neque vero sancti patres id tacuissent, si sic res habuisset. quid enim prius eis obiici debuisset aut qua re potuissent 30 revinci efficacius? in concilio generali Florentino ab Eugenio quarto 5 celebrato disputatum est perpetuos quindecim menses inter Graecos et Latinos super eorum erroribus praesente imperatore Constantinopolitano et patriarcha Ioachim, et disputatum est summa vi, maximis ingeniis, a viris toto orbe clarissimis, ac tandem superati sunt Graeci damnatique 35 aliquot eorum errores communi consensu, neque ulla facta est mentio quod eorum codices sacri essent depravati. neque enim ex locis suspectis suam tuebantur sententiam. quod si fecissent, an ullum fuisset negotium revincere eos ex libris emendatis? neque vero haeretici consueverunt 6 corrumpere codices, alioqui perfacile, utpote non argumentis, sed integra

1 *ma* Monasterium Haecmundense | Hecmondensi **B** (*in marg.* -se) || **3** *ma* Omnes veteres varie citaverunt || **24** *ma* An a schismate Graeci codices suos corruperint || **30** *ma* Concilium Florentinum, in quo Graeci affuerunt

lectione confutandi. Arriana haeresis totum paene orbem pervasit, et est a sanctis patribus summo studio, immensis laboribus nec minori periculo tandem extincta. neque unquam accusatus fuit Arrius aut sectatores eius quod codices falsassent. quod nos legimus 'ego et Pater unum sumus, et Pater maior me est' non aliter et ipsi legunt, tantum in sensus explica- 5
7 tione discrepantia fuit. neque Helvidius neque Eunomius neque alii haeretici aliunde erraverunt quam ex verbis perperam intellectis, cum de lectione constaret. fateor, pauculi quidem quaedam loca corruperant, ut
8 Manichaei, sed ii insani magis fuerunt quam haeretici. nostra tempestate Hussitae qui vocantur non aliud evangelium habent quam nos, sed ex 10 eisdem verbis nos catholicum, ipsi haereticum sensum accipiunt. perinde et Graeci omnia Scripturae loca, ex quibus suos hauserunt errores, ita ut nos legunt, sed diversum interpretantur, quod peculiare est haereticis,
9 ut inquit Augustinus, libro vii De Genesi ad litteram. *neque enim*, inquit, *non omnes haeretici Scripturas catholicas legunt nec ob aliud sunt haeretici* 15 *nisi quod eas non recte intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt*. videmus itaque liquido non consistere eorum rationem, qui nolunt libros sacros e Graecis codicibus castigari
10 propterea quod eorum codices sint studio depravati. quid enim? an omnes bibliothecas perreptarunt Graeci ut omnes omnium libros vitiarent? an 20 non continuo id eis in os obiici potuisset? nisi forte tot in regionibus clam facere potuerint. merum somnium id est neque ulla dignum responsione.
11 et Augustinus, Contra Faustum libro xxxii, capite xvi, pulchre ostendit codicum depravatione nihil posse obtineri, quando mox aliorum collatione revinci possint falsatores. *qua*, inquit, *causa a vobis* codices *corrumpi* 25 *non possent, hac causa a nemine potuerunt. quisquis enim hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur, maxime, quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur. nam etiam nunc nonnullae codicum mendositates vel de antiquioribus vel de lingua praecedente emendantur*. 30

21, 1 Satis itaque superque ostendimus temere a quibusdam affirmari codices Graecorum fuisse ab ipsis studio depravatos, tametsi negari non possit quasdam etiam in illos irrepsisse mendas vel casu vel imperitia
2 librariorum vel alia de causa. proinde dominus Erasmus Roterodamus, ut est omnium mortalium tam vigilantissimus quam eruditissimus, non 35 continuo ex Graeco codice nostros castigat, sed multis Graecis, multis

20 *§§ 8–9 August. De Genesi ad litt. VII 9, 13 (Migne, PL 34, 360) || § 11 August. Contra Faustum XXXII 16 (Migne, PL 42, 506)*

2 lahoribus **A** || 6 *ma* Unde erroris sui ansas sumant haeretici || 10 hũt **A** habent **B** || 14 vii **A** septimo **B** || 18 *ma* codicum corruptione nihil potest obtineri || 23 xxxii, capite xvi **A** trigesimo secundo, capite decimo sexto **B** || 27 vetustrorum **A** vetustorum **B** vetustiorum *Augustinus* || 34 *ma* Erasmus Roterodamus

item Latinis collatis, veterum commentariis excussis, omnibus bene pensitatis, quid magis quadret, quid rursus sit alienius tandem pronuntiat, immo proponit verius quam pronuntiat, cuique relinquens liberum quid sequi malit, secutus in hoc Ambrosii consilium, qui in Commentariis
5 Epistolae ad Romanos, capite quinto, tradit ac docet quo pacto verum sensum assequamur, ubi codices variant. *et ipsi*, inquit, *Graeci diversos* 3 *codices habent; hoc autem verum arbitror, quando et ratio et historia et auctoritas observatur.* cur non dixit vir circumspectissimus: 'hoc autem verum arbitror, quod in Latinis legimus', si haec vulgata editio, quae
10 tum certe extabat, ut ostendi, nusquam ullum habeat mendum? ipse 4 accurate disquiri vult quaenam sincera sit lectio (nam de illa agit) ut, cum est ratio, inquit, cur videlicet sensus is esse debeat, qui affertur, et historia, hoc est narrationis series et ordo, postremo auctoritas observatur, hoc est cum ita legunt probatissimi quique auctores. proinde con- 5
15 ferendae sunt variae translationes, primaria lingua inspicienda est, rimandum quid veteres legerint, ecquid quadret, ecquid discrepet, et ita tandem cunctanter pronuntiandum. nam Augustinus, cum tot essent interpretationes, non est ausus unam quampiam affirmare omni ex parte integram, etsi Italam ceteris praetulerit. mirum vero est virum oculatissi-
20 mum non vidisse quod videlicet nos videmus: hanc vulgatam eam esse contra quam nemini liceret hiscere. nam, ut diximus, iam inde a saeculo 6 Augustini extitit. ceterum, quod a multis affertur, hanc esse a synodis comprobatam, accedam sane, si vel una proferatur synodus, quae ullam de hoc mentionem fecerit, denique si ullum exemplar proferatur, quod
25 fuerit comprobatum. nam quod fuisset illud? meumne an tuum? huius an 7 illius ecclesiae? comprobat ecclesia sacros codices, sed emendatos, sed puros ac sinceros; mendosos vult castigari. et in synodis revicti sunt haeretici, sed ex locis emendatis, ex locis de quorum sincera lectione constabat. neque enim deserit sponsam suam ecclesiam Christus Dominus,
30 quin, ubi necessitas postularit, declarare possit hunc locum esse purum ac sincerum, sic non aliter legendum, quo Spiritu sancto directa errare non permittitur. neque satis est quod mille amplius annos ecclesia hac 8 usa est editione. primum non ea sola est usa. nam et Ambrosii translationem legit et Cypriani Hieronymique ac aliorum castigationes admisit.
35 deinde non continuo probat ecclesia quicquid in usum irrepserit.

21 *§ 2 Ambrosiaster Comm. in Epist. ad Rom. 5, 14, 5 – 5 a (ed. H. J. Vogels, Corpus Script. Eccles. Lat. LXXXI, 1966, 176, 20 – 22)* || *§ 5 August. De doctr. Christ. II 53* (*xv 22*) in ipsis autem interpretationibus Itala ceteris praeferatur

6 *ma* Ambrosii sententia de sincera lectione pervestiganda || **17** *ma* Secundo de Doctrina christiana, capite 15 || **22** *ma* An vulgata editio sit a synodo comprobata || **35** *ma* Non omnia probat ecclesia, quae in usum irrepserunt

9 quaedam permittit, ad quaedam connivet. Septuaginta interpretum editio fuit omnibus in ecclesiis usitatissima, teste Augustino, qua et apostoli usi fuerunt. an eo minus Hieronymus castigandam censuit? et cur non censuisset, cum vitiatam fuisse palam esset? quin ipse Augustinus fatetur inemendate scripsisse, qui de bibliotheca regis Ptolomaei primus codicem 5 describendum accepit. cur mirum videatur, si deinceps plurimae super-
10 additae sint mendae? itaque, ut finiam, certo certius esse debet omnibus Christianis ecclesiam Dei, Spiritu sancto opitulante, in nullum in fide errorem casuram et, quoties necesse erit, sine ulla ambiguitate declaraturam, hunc aut illum locum, de quo controversia fuerit, sic aut aliter 10 esse legendum, quamquam interea variae ferantur translationes et eius-
11 dem etiam translationis exemplaria non consentiant. verum de his nimis multa, praecipue cum haec dominus Erasmus Roterodamus multis in locis copiosissime pariter et eruditissime prosecutus sit ut videatur 'ululas Athenas', qui pergit illis quicquam addere. 15

22, 1 Sed ne in immensum crescat oratio, cum divi Pauli epistolae enarrari, ut dignum est, non possint sine Graecae linguae adminiculo, qua ego careo, quod proximum est, utar utilissimo aliorum labore ut in secundo saltem ordine prudentium locari queam, qui secundum Hesiodum, etsi per se non sapiant, parent tamen recta monentibus, donec et mihi 20
2 contingat mediocris linguarum cognitio. neque enim ullum video periculum imminere, si linguae quam maxime vigeant ac passim feliciter doceantur. nam si ullum est, an illud non videbat concilium Viennense,
3 quod tam sollicite statuit de parandis linguarum doctoribus? 'at periculum est', inquiunt, 'ne ex Graecis Hebraeisque codicibus nostri cor- 25 rumpantur ab iis, qui linguas calluerint.' quid, si caelum ruat? commentitium hoc periculum num deterruit patres memorati concilii ne statuerent, quod statuerunt? quin et libros ex linguis illis in Latinum sermonem verti mandarunt, non mandaturi utique viri circumspectissimi, si tantum ex ea re periculi sensissent evenire posse quantum nunc quidam videre 30
4 sibi videntur. neque vero sacrae Scripturae libros exceperunt, ut alios voluerint verti, hos non voluerint. quin verisimile est hos imprimis verti

§ 9 August. Civ. Dei XVIII 43 ab initio; XV 13 ab initio || *§ 11 vide i. a. Erasmi Apologiam Novo Instrumento praemissam (LB VI **2—3); Erasmus Adag. I ii 11 (LB II 72 AD)* || *22 § 1 Hes. Opera 295, quem Dorpius nosse videtur e Basilio, De leg. libr. gent. 1 aut e versiculis Hesiodeis, quos Faber Stapulensis suae editioni Moralium Aristotelis inseruit, Parisiis 1497. vide etiam Hadriani Florentii Quaestiones Quodlibeticas (cf. supra ad 19, 7), f. XXXIX*[r] || *§ 2 de* Concilio Viennensi *vide Adnotationes*

4 *ma* 15 (Decimo quinto **B**) de Civitate Dei, capite 13 || 8 *ma* Ecclesia Dei definire potest quae sit vera ac sincera lectio, cum opus est || 11 esse legendum **A** legendum **B** || 13 *ma* Erasmus Roterodamus || 21 *ma* An a linguis ullum nascatur periculum || 24 *ma* Cle. de magist. *quid sibi velit vide in Adnotationibus*

voluisse. quorsum enim attineat alios verti quam sacros aut horum
commentarios? quid? an synodo curae fuit ut Homerus verteretur aut
Plato? nonne de iis codicibus actum est, e quibus sanam fidem infideles
discere possent? eadem constitutio in concilio Basiliensi rursus est decreta 5
5 hiis quidem verbis, sessione decima nona: *omnibus modis servari praecipi-*
mus constitutionem editam in concilio Viennensi de duobus docere debenti-
bus in Studiis ibidem expressis linguas Hebraicam, Arabicam, Graecam
et Chaldaeam. fateor: concilium eo spectat ut linguarum commercio ad 6
fidem convertantur infideles. sed si vir Graecus aut Hebraeus converta-
10 tur, nonne proponemus suam utrique editionem, Graecam Graeco,
Hebraicam Hebraico? an cogentur Latinam linguam discere, videlicet ne
in depravatos codices suae linguae incidant? aliqua portio Graeciae 7
agnoscit Christum, paret Romanae ecclesiae, fidem sectatur. horum ex-
emplaria Graeca an damnat ecclesia? an recipit aeque atque Latina? si
15 damnat, cur permittit ut eis utantur? sin recipit, cur nos damnamus?
linguis loqui, inquit Paulus, *nolite prohibere*. et nos contra eius sententiam 8
vetabimus? 'at Paulus sentit de linguis miraculo a Deo impartitis.' quid
tum postea? an minus licebit linguis loqui, quas humana industria para-
mus? an tempestate apostolorum tam sancta res erat linguarum peritia
20 ut a Spiritu sancto tribueretur viris sanctissimis, et nunc, omnibus in
diversum mutatis, exitialis res est et perniciosa? undenam, quaeso, ista 9
mutatio? quis docuit linguarum cognitionem interea factam esse perni-
ciosam? si non est perniciosa, quod fatebuntur haud dubie quibus ullum
est iudicium, non mirentur, non despiciant eos, qui rem utilem sectantur,
25 quam amplecti licet, si cui placeat. cui non placet, quis hunc cogit? vel 10
Diogenes dolium vertat interim, si libeat, vel stertat denique! sed extra
iocum: quod ei cordi est, sectetur, ut hac quoque in parte in suo quisque
sensu abundet. et qui non discit, discentem ne iudicet. veteres quotquot
fuere eximii theologi, alii duas, alii tres, alii plures linguas calluerunt.
30 Graecam certe nemo fere non mediocriter didicerat. et nos tantopere 11
abhorremus! neque dubito quin ipse divus Thomas linguarum praesidium
fuisset studiis suis adiuncturus, si in saeculum tam felix incidisset quam
est nostrum. ergo, ut dixi, interea dum hoc praesidio careo, aliorum
industria utar, qui mihi meique similibus Novum Testamentum codicum
35 collatione perpurgaverunt et mirum in modum illustrarunt. inter quos 12
princeps est et antistes dominus Erasmus Roterodamus, qui ut in aliis,

§ 5 J. D. Mansi, Sacrorum Conciliorum amplissima Collectio XXIX, 99 in Decreto de Iudaeis et neophytis, inc. Salvatoris Nostri || *§ 8 Paul. 1 Cor. 14, 39*

4 *ma* Concilium Basiliense de linguis docendis statuit || 8 Chaldaeam *scripsi cum Concilio* Hebraeam **AB**, *qui Dorpii videtur lapsus* || 19 *ma* Ut Apostolorum tempore bona et sancta fuit linguarum cognitio, ita et nunc || 28 *ma* Omnes fere veteres multas linguas callebant || 31 *ma* Thomas || 36 *ma* Erasmus Roterodamus

ita in hoc quoque neminem post se non reliquit, et quidem longo intervallo, divino vir ingenio, iudicio felicissimo, mira tum rerum, tum verborum ubertate, incredibili iuvandi recta studia ardore, candore mirifico, ut quam est omnium bonarum artium ditissimus, tam liberalissime omni-
13 bus impartiatur. proximus Laurentius Vallensis, ut de bonis litteris, ita 5
14 de sacris quoque hac in parte bene promeritus. tertius Iacobus Faber et ipse vir eximie doctus. hos consulam, hos versabo. quicquid erit apud hos, vobis non deerit. et simul omnes veterum commentarios summa diligentia evolvam, neque neotericos praeteribo, eos certe qui lectione digni
15 sunt. vos, quaeso, pro publico commodo sudanti linguis animisque favete! 10
dixi.

4

Martinus Dorpius clarissimo domino Erasmo Roterodamo S. P. D.

1 Miror vehementer, eruditissime domine, quid acciderit istis ut ita sursum ac deorsum omnia versent, ut eximios aliquot sic de studiis, sic 15
de re Christiana meritos male vexent. polliceor tibi et Domino Deo: me non habebunt istius turbae consortem. quanto Christianius est recte omnia ac sane intelligere, et in meliorem partem interpretari! secus qui faciunt, nonne ipsi malum inferunt doctorum virorum lucubrationibus?
2 quaeso te per gloriam Christi, mi Erasme omnis eruditionis princeps, ut 20
ne animo frangaris ob quorundam et paucorum et inermium ineptissimam simul et stultissimam importunitatem. magis te consolentur tot eximiorum tum principum tum episcoporum, tot eruditissimorum toto orbe virorum amicissima de te tuaque eruditione iudicia, eaque cum verissima tum constantissima. hic certe ita ex animo favent tibi, ita 25
admirantur, ita praedicant opera tua insignia ut non credam simile contigisse cuiquam mortalium omnibus retro saeculis, ne Hieronymo
3 quidem ipsi. non fingo hoc, teste Deo, mi Erasme: omnes eruditi gratulantur mihi de orationis meae editione, quod animum sententiamque meam ingenue testatus sim sine ullo fuco. magnificus idemque eruditissi- 30
mus iurisconsultus dominus Nicolaus, praeses Hollandiae et ceterarum provinciarum, ita amplectitur ut nunquam laetius prandeat quam de te cum est prolixa et imprimis honorifica mentio, eaque de causa magno
4 favore me prosequitur. quidam domini consiliarii omnibus modis student bene mereri de me, quod audierint et in oratione aperte legerint ex animo 35
me tuum esse. omnes scholae, omnia eruditorum conventicula, omnis

5 *ma* Laurentius Vallensis **ABi** *omisit* **Bm** || 6 *ma* Iacobus Faber **ABi** *omisit* **Bm** || 13 SALUTEM α || 17 turbae istius α || 27 Hyeronymo α || 29 quod α[1]**Bm** quot α || 33 in primis *Allen* || 35, 36 me ex animo α

magnatum corona Erasmum praedicat. inter quos praecipuus est magnificus idemque illustris ac doctus dominus de Assendelft, qui tuis monumentis unice delectatur, ea in manibus habet paene assidue, cum vacat. me student hic inaurare. non desunt passim eximii viri religiosi, qui te, uti par est, summis in caelum efferunt laudibus. inter quos duo praecipue me hortati sunt summo studio, tuus ut essem, cum hortatione non foret opus. alter est gardianus Mechliniensis, vir cordatus, rerum experientissimus, idem eximie doctus, proximus Amandus Graece Hebraiceque doctus, quem nosti, opinor. ii sic favent tuis sanctis laboribus ut ne suis quidem magis queant. in Germania, in Anglia, in Francia quot sunt chiliades mortalium sic ex animo faventium Erasmo, ut ne aris quidem ac focis impensius! et o me dementem, qui non semper nisus sim manibus ac pedibus ne nasceretur de me pessima suspicio, quasi is ego essem, qui tali viro adversarer staremque ab nescio quibus etc.! cur non ab initio id palam testatus fui? cur tam diu distuli? malo fato actus fui, o mi Erasme! sed praestat recurrere quam cursum male institutum pergere. quam gaudeo me orationem illam edidisse, quo omnibus constet quam repugnante animo meo facta fuerunt, quae contigerunt. neque enim unquam mihi placuerunt, quae moliebantur, sed in hoc errorem meum ingenue confiteor tibi, mi Erasme humanissime, quod non aperte explicuerim quid sentirem. id si denuo futurum est, male peream quantus quantus sum. quaeso te ut aliquo in loco, cum erit opportunum, mei mentionem facias amicam, quo intelligant omnes pulchre inter nos convenire. hoc mihi gratius facere non potes. non desunt epistolae quaedam ad me tuae et meae ad te. harum si quae erunt idoneae quae imprimantur, per illas fieri poterit quod peto.

Reverendus dominus Edmondensis amice sentit de te, vir pius et qui nativa bonitate dissidia ista odit. apud eum et apud omnes nihil cessabit Dorpius tuus, neque id clam habebit. orationem meam, etsi ineptam ac indoctam, mire tamen cupio Basileae impressum iri typis Frobenianis. id tu si voles, factum est. quid enim tibi neget vel Rhenanus vel Frobenius? cum scribis ad Morum, ad Paceum, ad Rhenanum, ad Huttenum, ad Budaeum, facito quaeso amicam Dorpii tui mentionem. pater meus, vir senex ac paene octogenarius, plurimam salutem tibi asscribi iussit. fortasse non meministi unde te norit. collocutus est tecum suavissime annis abhinc paulo plus duobus in collegio Atrebatensi. Magister Iacobus Mauricius consiliarius, qui olim fuit pensionarius Goudensis, toto pectore tibi addictissimus, iubet te salvere meis verbis. rapior hic a viris doctrina fortunaque praestantibus. raro prandeo domi, non quod amem convivia,

4 eximie **Bm** || 6 tuus α^1**Bm** tum α || 14 nescio quibus etc. α^1**Bm** nes. α || 15 fui[1] **Bm** sum α | o mi **Bm** mi α || 18 fuerunt α**Bm** fuerint α^1 || 34 ascribi *Allen* || 37 Mauritius α || 39 fortuna α

14 sed ut confabulemur. Lutherio, quod nuper scripsi tibi, mirifice hic favetur. est vir quidam nominatae doctrinae, magno ingenio ac studio indefatigabili, virenti etiamnum aetate, qui Lovanii olim summa cum laude eruditionis vixit, qui in eius defensionem scripsit, explicans defendensque universa solidis Scripturae locis. ipse libellum legi, et afferam 5 mecum. ita enim vult ipse et vir magno animo ac dives.

15 Saluta, quaeso, dominum Nevium, et ora ut veterum turbarum ne meminerit. scio, si rem penitus nosset, nunquam admodum aegre me ferret. domino Berselio, Reschio et ceteris meo nomine plurimam dicito 16 salutem. Magister Ioannes Coelmanus, pater sanctae Agathae, vir pius 10 et doctus, tuorum operum helluo, qui tecum prandebat una apud me Lovanii, sese commendabat tibi.

17 Bene vale et, si commodum erit tibi, responde. nam hinc nondum licet emigrare.

Ex Hagha Comitis, die lunae post Catharinae. 15

5

f. 235r Reverendo in Christo patri D. Menardo Mannio, abbati Ecmundensi, patrono suo Martinus Dorpius S. P. D.

1, 1 Quemadmodum ex studiorum meorum messe olim primitias tibi qualesquales dicavi, benignissime patrone, ita quicquid interea seu 20 magnum seu pusillum ingenioli mei ager assidua cultura produxerit, id omne ut nullus dedicem, tuo tibi iure non secus atque anathema multis vendicare nominibus assererequе potes, vel quod unus otium mihi ad optima sacraque studia, quae vacuae sunt mentis opus, liberum tranquillumque ultro suppeditaveris, vel quod hoc ornasse beneficio haud- 25 quaquam satis arbitratus aliis insuper veluti certis firmisque iudicii tui symbolis cumulaveris, vel quod ea me semper benignitate, ea familiam omnem nostram beneficentia prosecutus sis ut aeri tuo tot syngraphis obstricti ne sortem quidem, nedum foenus aliquod nostrae sit opis 2 rependere. proinde quando facultas non suppetit alia maior, quod pro- 30 ximum est, grati animi significationem ne non ostenderem aliquam, libellos quosdam proxima apud me fetura natos, quamvis rudes etiamnum informesque fetus meritoque lambendos et fingendos adhuc, tuae 3 reverendae paternitati nuncupare constitui. horum unus est *De catholicae ecclesiae ritu ac consuetudine*, quid haec obliget, quam late pateat, quo- 35

2 vir quidam α¹**Bm** vir quidem α | magno α¹**Bm** magni α || 6 et vir **Bm** vir α || 9 Berselio α¹**Bm** Berschelio α || 10 Coecmannus *Allen falso scribendum censuit, singulari personarum confusione in errorem ductus* || 13 tibi erit α || 15 Haglia **Bm** | *annum* M. D. XIX *addidit* α¹ || 26 indicii **H**

usque fines suae ditionis propaget; alter homiliam complectitur seu paraenesim potius ac paraclesim *De vita Christo Domino instituenda*, lenem quidem illam sed, ni fallor, admodum illicem, facilem item. sed nulla aeque re vivida generosae mentis indoles capitur, ducitur, retinetur
5 atque facili benignaque institutione. hanc annos abhinc duos in celebri 4 consessu Principum Hollandiae ingenti cum summi ordinis applausu dixi; id quod nequaquam meae qui dicebam aut eruditioni aut facundiae, sed mirifico illorum asscribendum candori duco. quibus mentiar si quicquam usquam expertus sim candidius, purius, simplicius, ab omni fuco
10 alienius, ut anceps ambiguusque nescias in ipsis quid admireris potissimum, fortunamne, quae est luculentissima, an virtutem, quae cum illa certamen de victoria sumpsisse videtur, an morum amabilissimam facilitatem, an denique omnibus numeris omnibusque punctis absolutam eruditionem, ut ne quid dicam de incomparabili studio, quo sacras, quo littera-
15 tas litteras, quo vitae bonorum puritatem, quo viros eximie eruditos, quo me peculiariter eruditionis opinione ipsi vere eruditissimi prosequuntur. magnifico domino Nicolao Everardo, | provinciarum praeside, 5 f. 235v quid vel fingi potest humanius, benignius, litterarum amantius! ut utriusque iuris peritiam in laudum eius album non referam, in qua nemo
20 non herbam ei porrigit quaqua patet amplissima Burgundica ditio, ut dicam modestissime. tum illustri ac generosis atavis edito domino 6 Gerardo Assendelpho an vel a Charitibus ipsis quicquam optaris benignius, mansuetius, officiosius? qui et tuae reverendae paternitatis inter amicos nulli est secundus. his profecto rebus usque adeo animum illi 7
25 meum affecerunt, ita sibi vinculis adamantinis devinxerunt ut, si extra academias vitam transigere vel ratio vel sors suaderet (siquidem nemo non temere dixerit: 'hoc mihi non eveniet', ut sunt humana quovis Euripo instabiliora), nusquam gentium quam inter tot studiorum Maecenates feliciter consenescere scribendoque, contionando, denique
30 bene cum Christi auxilio consulendo aliquam Domino usuram comparare.

Verum ubi pressius fixiusque mecum reputo, oratiunculae quam anno 2, 1 superiore evulgavi quam sinistrum fatum, quam infaustus genius, quam non bonae fuerint aves, non possum ab ancipiti editionis alea non ali-
35 quantum abhorrere: quae videlicet tam infeliciter mihi in pyrgum litterarium ceciderit ut improba insolentis herae temeritas vix arte corrigi posse videatur. quamquam et iam tum etiam mens, ominosum quiddam 2 ac laevum praesagiens, editionem aversabatur propterea quod haudquaquam ignorarem quam varia ac nauseabunda forent palata lectorum,
40 quam iniqua, morosa et pertinacia praeiudicia. ac tum quidem pro re

2 potius ac paraclesim **m** *add. supra lineam* || 8 duco **m** *supra rasuram, ubi erat* puto (*?*) || **20** bourgundica **H** || **21** attavis **H** || **29** Mecaenates **H**

nata praeceps et ab occipitio calva occasio capillis erat prehendenda. cedo, quid evenit? nimirum quod hariolatus fueram, quod anxie metueram, quodque gnaviter manibusque pedibusque annisus eram evitare! 3 siquidem oratiunculam ipsam critici quidam susurrones, ad dirimendas bonorum bonas amicitias linguae spiculis armati, ansam delendi me, quam diu exquisierant, tandem aliquando nacti, destinata malitia sic interpretati sunt, immo vero sic depravarunt, quasi viros quosdam eximiae tum probitatis tum eruditionis atro carbone oblique subnotassem ac naso arguto vafre suspendissem, nihil quicquam | (f. 236r) morati excusationem praefationis, qua palam ac ingenue nec vere minus quam ex animo testabar neminem velle me vel perstringere vel laedere. quod si iureiurando quicquam haberem hoc in genere sanctius, hoc vero ad innocentiae meae suffragium nunc quoque libens adhibuerim. tantum abest ut fecerim quod illi fecisse impudenter calumniati sunt.

4 Nihil mirum sit autem ⟨si⟩ mea verba aliorsum atque dixi accepta fuerint, cum ipsius Christi neutiquam obscurum aliquoties sermonem discipuli perperam ac in sensum prorsus adulterinum interpretati sint, nulla haud dubie malignitate, sed rei verisimilis vicinitate; id quod liquido sacrum testatur evangelium de verbis Christi, quibus divi Ioannis Zebedaei exitum insinuabat. quanto id magis proclive est nobis ut accidat, de quibus nimis quam verum, quod rex ille dicit: *industriam* 5 *animadverti patere invidiae proximi*! quid enim? an mei tam iniquus iudex est quisquam, qui in tantum deploratae malignitatis arcem ⟨me⟩ conscendisse autumet ut immerentes ipse ultro amarulentis stili telis confodere sustinuerim? ignoscat condonetque illi Dominus, precor, qui hanc tam insignem mihi calumniam, actis oblique cuniculis, vafer ac subdolus substruxit. illi Metanoea olim ultrix non deerit, quae facinoris 6 meritas poenas aequa lance remetiatur. quendam ipse novi (nam *Corycaeus*, ut aiunt, *auscultavit*), qui operam in hoc negotio ut strenuam ille quidem ita neutiquam sanctam cacoglottus navavit. ego sane quantumvis laesus genuinum non infigam, illius Pauli memor: *nolite vinci a malo, sed vince in bono malum*. utinam qui spergunt eiusmodi tam accuratae obtrectationis malitiam, perpenderent quanta sit, quam late vagetur

2 *§ 4 Io. 21, 23*; rex (*Salomon*)] *Eccle. 4, 4* industrias ... || *§ 5 cf. Auson. Epigr. 33* (*Prete*), *11–12* sum dea, quae factique et non facti exigo poenas/nempe ut paeniteat. sic Metanoea vocor || *§ 6 Erasmus Adag. I ii 44* (*LB II 87 AF–88 AB* Corycaeus) *et I v 62* (*206 DF–207 AC* Caecias)*; Paul. Rom. 12, 21*

14 *post* illi *fortasse* me *addendum esse prop. De Vocht. quod certe melior est grammaticae usus; at Dorpius verbum* fecerim ... fecisse *repetere tantum videtur. praeterea et aliis locis* me *omisisse videtur* || 15 sit *in* si *fortasse mutandum putavit De Vocht. malo addere* si *post* autem || 23 ⟨me⟩ *prop. De Vocht. num iterum Dorpius pronomen omisit* (*cf. supra ad l. 14*)*?* || 27 Metania **H** metanea **m** || 28 Coricaeus **H** || 33 perperderent **H**

undique mala similiter ac *Caecias nubes attrahens*, quam ego cetera quamlibet caecus. . . . an ingenium mihi tam parum ingenuum tribuunt, 7 immo velim nolim invito cubitis obtrudunt, ut vel non animadvertam vel dissimulem minime gentium convenire ut servus Domini litiget aut 5 obtrectet, et dum vindice loquacitate, quos improbos esse suo unius senatus consulto statuit, hos parat ulcisci, ipse palam iniquitatis suae usturas ac ineluibiles notas orbi publicet? *si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet qui occulte detrahit*, inquit contionator ille sapientissimus. an non legi, an vero lectitantem nihildum commovit, quod magnus 8 10 ille minimus apostolorum intonat: *maledici regnum Dei non possidebunt*? et quem, quaeso, illa non terreat Servatoris nostri tam vera quam severa sententia: *qui dixerit fratri* | *suo 'fatue', reus erit gehennae ignis*? ut f. 236v 9 hominum censuram forte fortuna evadat, an non sibi rea est humana conscientia, quae nobilem fratris sui famam indigne lacerat, atrocibusque 15 linguae vulneribus rabide dilaniat, quae fratris sui erratis haud secus atque oleto scabens otiose pascitur? hoc qui facere sustinet an dignus non est qui sus sit ac caeno volutetur, qui in hara siliquas ingurgitet potius quam hominis dignitatem sua accessione dehonestet?

Proinde in oratiuncula mea si quis me affirmet obtrectationis virus **3,** 1 20 ullis in latebris, ullis involucris inspersisse, huic pro iniquo erga me officio equidem malam gratiam non retaliabo; bonam, opinor, facto non debeo, homini debeo. primum quidem, neminem nominavi. deinde quos illi 2 notatos fuisse confingunt, in eos minime competunt verba, quibus aculeos uti fallacem hamo escam subesse somniant. porro quae quo animo 25 fiant incertum est, ea non esse praeiudicio damnanda, dogma theologicum est cantatissimum. *nolite iudicare*, inquit Dominus, *et non iudicabimini*. postremo, si cui scrupulus quoquo modo iniectus est, hunc vera hac mea excusatione prorsum exemptum velim. neque enim quae scripsi tam atro loliginis succo vitiata infectaque sunt, opinor, ut nullo candore elui 30 queant. si quid tale est, indicet quispiam locum. re ipsa, non verborum 3 fuligine Christianum mihi pectus inesse ostendam, qui *munus ad altare nisi fratre reconciliato neque velim offerre* neque ausim. sin nemo indicare potest, hic profecto malim universam, quantulacumque est, fortunam meam periclitari quam ut videar quasi circumforaneus circulator omni 35 doctrinae vento hinc illuc, illinc rursus huc impelli. etenim fortunam 4 multis modis sarcire contingit, famam vix contingit, cum possessio sit cum longe pretiosissima, tum tenerrima, denique navibus equisque vel

§ 7 Eccle. 10, 11 . . . eo minus . . . || *§ 8 Paul. 1 Cor. 6, 10* neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebunt; *Matth. 5, 22 in breviorem formam redactus* || **3** *§ 2 Luc. 6, 37; cf. Hor. Sat. I 4, 100* nigrae sucus lolliginis || *§ 3 cf. Matth. 5, 24* || *§ 4 Erasmus Adag. I iv 19* (*LB II 159 A*) navibus atque quadrigis = *Hor. Epist. I 11, 29*

2 ingenuum *scripsi sensus causa* ingenium **H**

5 postliminio vindicanda et liberali asserenda causa manu. non possum praestare quid quisque effutiat. nulla tam modesta felicitas est, quae malignantium dentes possit effugere. quidnam tam circumspecte dicas quod non male narrando depravari possit, quod non calumniantium morsibus sit obnoxium? si quis hoc sibi unum studio habeat ut veluti araneus quidam obambulans ex optimo quoque flore | venenum hauriat, unde
6 argumentosa apicula Christiani mellis alvearium concinnaret? ceterum quoquo animo Aristarchi mei scripta mea legant, mihi certo certius est Dei auspicio modestiae limites numquam transilire. neque contentionis funem ridiculus choragus unquam producam. hoc propositum sedulo urgebo dum vivam, hoc mordicus tenebo, hoc curabo, utut cedant, utut sursum deorsum misceantur omnia, ut in libellis meis ne quid obtrectationis, ne quid veneni, ne quid insit amaritudinis, ne quem mordacitatis aceto perfundam, nulli os laedam, nulli conviciabor, nihil durum, nihil
7 asperum, improbum nihil attexam. in summa, ad caninam facundiam quamlibet provocatus non descendam, haud ignarus quantum Christianos universim dedeceat petulantis stili licentia, magis etiam sacerdotes ad benedicendum institutos, maxime autem theologos, quippe divini verbi
8 praecones, non Sathanicarum dirarum devotores. eorum quae scribo si quis, habita ratione Christianae modestiae, contrarium astruere conabitur, gratiam etiam uberem habebo, tantum abest aegre ut sim laturus. si quis porro durius ac par est digladiabitur, si quis cornua obvertet ferox, si quis hostili incursione sementem meam populabitur, huic quid
9 faciam? quid precer, nisi mentem meliorem? concordia, pace, tranquillitate ac iucundissima in Scripturarum viretis expatiatione nihil mihi magis volupe esse queat, sine qua non video haec vita, haec miserabilis peregrinatio quid habeat suave. otio litterario nullum equidem fortunae strepitum praetulerim. *vita sine litteris*, inquit Seneca, *mors est et vivi*
10 *hominis sepultura*. quod si non alia conditione per rerum aestus tranquillitas esse potest quam ut nihil evulgem, age, obtemperetur! cedat illa potius quae inflat scientia quam illa ditionis suae pomeria contrahere compellatur quae aedificat charitas, cuius moenia gravissimo quatit impulsu, qui virulentae obtrectationis arietem illidit. quid queam? iam in his ipsis, quae nunc dico, si quis scintillulam inesse iniuriae imaginabitur, eam animo ipsemet suo afferet, ex hoc certe sermone non refert. hoc qui parum credit, in cuius manu est huic rem veram persuadere?

4, 1 Ceterum ut comminus congrediar, in libello reo quid invenias, quaeso? quid aequus bonusque lector non aequi bonique consulat? recte quidem |

§ 9 Sen. Epist. 82, 3 otium sine litteris mors est et hominis vivi sepultura || *§ 10 Paul. 1 Cor. 8, 1* scientia inflat, charitas vero aedificat

6 quidam *supra lineam add.* **m** || 8 est ⟨me⟩ *prop. De Vocht*

vetus verbum monet ut *malum bene conditum ne moveamus* neve sopitos f. 237v
suscitemus ignes. si quis exigat tamen, non deest quod respondeam. quin
certa spes est fore ut coram quovis arbitro, coram quibusvis iudicibus
causam evincam.
5 Quid intentatur criminis? eloquentiam plenis laudum velis in caelum 2
extuli. inexpiabile vero ac indignum facinus nec uno carcere dignum,
ego si praedicem, longe impar eius meritis praeco, quam hactenus nemo
vituperat, inclyti etiam religionis nostrae heroes neque obscure neque
dissimulanter tum probant, tum amplectuntur! at qui heroes? nempe ii a 3
10 quibus nullus cuiquam reliquus est provocandi praetextus, sit ille licet
prostitutae impudentiae. atque ut pro sexcentis unum producam, nempe
Aurelium Augustinum, quo viro haud scio an ex omni scriptorum ordine
quisquam allegari queat aequior, moderatior, circumspectior, ad haec
ingeniosior doctiorve iudex, quique minus pessimo incantatori affectui,
15 minus violento rapidoque orationis impetui indulgeat, is itaque quarto
De doctrina Christiana *cum*, inquit, *per artem rhetoricam et vera suadean-
tur et falsa, quis audeat dicere adversus mendacium in defensoribus suis
inermem consistere veritatem? . . . quis ita desipiat ut hoc sapiat? cum sit
ergo in medio posita facultas eloquii, quae ad persuadendum seu prava seu
20 recta valeat plurimum, cur non bonorum studio comparatur ut militet veri-
tati?* idem libro primo Contra Cresconium, Augustini eloquentiam ex 4
professo accusantem infamantemque, accurate tum sibi tum illi patro-
cinatur, tantum abest ut hic crimen aliquod agnoscat, cum eloquentem
se non neget: *in primis*, inquit, *partibus laborasti ut suspecta hominibus
25 eloquentia videretur, . . . adhibens etiam testimonium adversus eam de
Scripturis sanctis ubi dictum putas: 'ex multa eloquentia non effugies
peccatum', cum dictum non sit 'ex multa eloquentia', sed 'ex multiloquio'. . . .
frustra igitur haereticorum commemoratione accusasti eloquentiam. neque
enim pro patria non est miles armandus, quia contra patriam nonnulli
30 arma sumpserunt, aut ideo uti non debent boni doctique medici ferramentis
medicinalibus | ad salutem, quia his etiam ad perniciem indocti pessimique* f. 238r
abutuntur. . . . utinam mihi eloquentia ad explicanda ea quae sentio pro 5
desiderio provenisset! ecce Augustinus, vir tantus ut extra omnem in-
geniorum aleam omnibus tot saeculorum suffragiis evectus sit, tantus
35 etiam rhetor, quem nemo nescit annos complures in frequentissimis
urbibus eloquentiae emporium publicumque velut mercatum instituisse
cum summa saeculi neutiquam infantis admiratione: is tamen ipse
maiorem etiam eloquentiam optat, cum citra controversiam maxima

4 *§ 1 Erasmus Adag. I i 62 (LB II 51 C)* malum bene conditum ne moveris ||
§ 3 August. De doctr. Christ. IV 4–5 (ii 3) partim || *§ 4 August. Contra Crescon.
Donatistam I 1, 2 (Migne, PL 43, 447–448) nonnullis omissis et* haereticorum *pro*
istorum exemplorum *posito*

6 polleret. neque vero hic de futili loquacitate inaniumque verborum nundinis agimus, qua se logodaedali quidam vocularum aucupes ambitiose venditant, prae sese viros graves ac summa celebres eruditione ceu amusos elinguesque nihili ducentes ac e sublimi ridentes, quod videlicet tenellas auriculas modulata dictionis rotunditate non scalpant aut 5 spumeo eloquentiae luxu non feriant, sed de gravi, cordata, mascula,
7 quae ecclesiasticum veritatis doctorem deceat. tametsi hic quoque recta ac regia grassandum est via, ne vel ad dextram deflectamus, nimio studio eloquentiam phalerataeque dictionis ampullas ac *eruditam*, ut inquit Cicero, *vanitatem* complexi, vel ad sinistram aberremus, omnibus 10 eloquentium voluminibus *nigrum praefigentes Θ, thita*, ac unica in urnam coniecta faba condemnantes, iure iniuria, probe improbe, susque deque
8 ferentes. quo quidem in discrimine iam olim mire ad stomachum meum fecit prudentissimum Augustini temperamentum, quod aequum est ut omnes uno calculo eloquentes ineloquentesque comprobemus, *abs te*, 15 inquiens, *Domine, didiceram, nec eo debere aliquid verum dici quia eloquenter dicitur, nec eo falsum quia incompositum sonant signa labiorum*.
9 hactenus eloquentiam elevavit, quo se solentur quibus vel praeceptorum vel saeculi culpa non contigit. deinceps eidem suum locum tribuit: nec ideo verum esse quia polite enuntiatur, nec ideo falsum, quia splendidus 20 sermo est. aequum iudicasti, inclyte Augustine, utrique quod suum est tribuisti, iustissime iudex. si licet, nos in tuam sententiam pedibus discedimus, tibi subscribimus, tibi succinimus. hactenus de eloquentia; ad cetera pergimus. |

f. 238v
5, 1 Damnavi sophisticen. fateor, nec huius me dum vivam paenitebit 25 unquam. nonne Scriptura palam hanc detestatur *qui sophistice*, inquiens, *loquitur, odibilis est*? quod Augustinus de hac ipsa interpretatur, quam ego quidem acriter, sed nimis quam iuste insectatus sum ut inutilem, immo
2 vero ut perniciosam pestemque studiorum. quamquam ipse nihil aliud quam mortuam, uti dicitur, iugulavi, quippe olim aliorum enectam stilis. 30 et mirabor hercule plus quam mediocriter, si quis gnarus quid sit sophistice idemque sensu saltem communi praeditus eam rectis studiis non secus atque *infelix lolium* optimis segetibus miscendam arbitrabitur.
3 quod si tanta animorum propensione haec amanda est scientiarum simia atque in sinu paene uti amabilis pusio gestanda, quorsum attinet, quaeso 35 per Charites, ut venerabilis Artium Facultas sicut alia pleraque, ita hoc

§ 7 (Cicero) ***Hieron. Epist. 10, 3; Pers. 4, 13*** nigrum vitio praefigere theta; *cf. Erasmus Adag. I v 56* (*LB II 203 EF–204 A*) || *§ 8* ***August. Confess. V 10*** (*vi*) . . . incomposite sonant signa labiorum || **5** *§ 1* ***Eccli. 37, 23; August. Contra Crescon. Donatistam I 2, 3*** (*Migne, PL 43, 448*) || *§ 2* ***Verg. Buc. 5, 37 = Georg. I 154***

15 eloquentes **m** *addidit supra lineam* || 18 quo **H** qua *mavult De Vocht, cui non adstipulor* || 26 inquiens **m** inquit **H**

graviter et prospicienter statueret, ne evanidas cavillorum technas inextricabilesque griphos occinerent, qui de adolescentibus philosophiae candidatis periculum in litteris facerent? cuius suffragio utinam omnes ubique Academiae album adiiciant calculum! accedit ad haec quod olim me puero, ut erant Lovanii gravissimi quique eruditissimique ac prudentissimi praeceptores, ita has insanas, hasce versutiarum meditationes longe arcebant, ut non sinerent ne pueros quidem nos illis immorari ac veluti in arundine longa aut ligneo Bucephalo inequitare. porro si theologicae professionis nulla est sophistice, adulterino ac personato fuco veram mentita disciplinam, nimirum perperam senserunt qui adeo nullam esse negant ut in duas quasi factiones liberaliter eam secuerint, utque in nulla seu primae seu infimae classis disciplinarum functione fascinatricem hanc imposturam non adesse affirment, quin ubique veluti ignavus fucus inter mellificas sese apes mediam admisceat, verum hanc ab omni arte ceu scoriam ab auro, faecem a vino, paleam a grano semovendam esse. nisi vero cuivis liceat sophistices personam detegere, | mihi non liceat. alioqui haec nobilium artium aemulatrix larva ac cerussata veneficaque meretricula quid fructus, quid affert boni? nonne vel Tiresiae perspicuum est quam falsas praeceptiunculas et, ut verae sint quod non sunt, quam portentosas, quam futiles, deliras, insanas tricas apinasque proferat? neque enim pretium est operae cuivis vero investigando aetatem insumere. alioqui et harenam innumerabilem numerabimus et, quod vanissimus ille ab Alexandro salsissime notatus consecutus erat, milium per acum traiicere longo usu meditabimur. in exponibilibus merito in flumen exponendis, in insolubilibus hippocraticis vinculis astringendis, in obligationibus, in quas *declinantes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*, in his, inquam, nonne absurdissima quaedam portenta excogitarunt et hebetissima acumina? ut si ipsos audias suos aenigmatum scirpos, sua sphingis problemata sonantes, dicas cum Paulo: *quid insanitis?* his videlicet falsa est propositio: *Iesse genuit David regem*, neque tantulum apud eos momenti habet quod Scriptura sacra sic loquitur, quippe quae improprie loquitur, ut heae nugae illorum sint propriae. quibus delibuti veluti in hortis Adonidis atque in insulis fortunatis deliciantur.

§ 3 Erasmus Adag. I v 53 (LB II 202 BD) album calculum addere || *§ 4 Hor. Sat. II 3, 48* (in arundine longa); ***Bucephalus nomen est equi Alexandri Magni, qui*** etiam tum puer captus est eius decore (*Plin. N. H. 8, 154*) || *§ 6 cf. Mart. XIV 1, 7* sunt apinae tricaeque et si quid vilius istis; ***Erasmus Adag. IV vii 38*** (*LB II 1106 AB*) milium terebrare. simile studium fuit illius, qui grana milii e longinquo mittebat per foramen acus || *§ 7 Ps. 124, 5* || *§ 8 Paul. 1 Cor. 14, 23; Matth. 1, 6*

2 gryphos **H** || 13 non **m** *supra lineam* || 19 Tyresiae **H** || 20 non *supra lineam add.* **m** || 25 hypocraticis **H** || 29 spingis **H**

9 Sed quorsum haec deliramenta prosequar fusius? quae *non sani esse hominis non sanus iuret Orestes*. huiusmodi si ultro profitear me nescire, hinc mihi quae iactura? quis me istiusmodi quicquam interrogabit? quis in eruditorum corona horum ingeret intempestivam semper mentionem? quis animae suae salutem per haec quaeret? et quidam tamen tanta diei 5 ac somni iactura discunt quod neque prodest scitum neque ignoratum 10 nocet, ut gravissimi Stoicorum verba huc accommodem. iam in syncategorematis iungendis, novandis, acervandis, o superi, quanta voluptas est, quae deliciae! dum regulis quibusdam confictis ac una nocte sub pulvino natis omnia distribuunt, confundunt, ampliant, restringunt, 10 ascendunt, descendunt, stant, appellant, denique quid non suo iure 11 faciunt! miserati interim simplices, quos vocant, quamvis eruditos alioqui viros, qui hanc acutissimam vanitatem non libaverint. hi de instantibus f. 230v | instanter disserunt, de infinito sine fine garriunt, in motu omnia movent, a loco nihil loci, a tempore nihil temporis, a vacuo prorsus nihil vacuum 15 12 relinquunt. hi pulicis saltum in statera aequis lancibus ad scrupulos appendunt. hi monstrificos casus comminiscuntur. hircocervis horumque sororibus chimaeris cum tota poeticorum figmentorum familia admodum familiariter utuntur, ut putes una unis in aedibus educatos. hoc est quod pallemus, his vigilatas noctes impendimus, his optimam aetatem prodigi- 20 mus, his blattarum pabulis *iuvat impallescere* quemquam.

6, 1 De dialectica autem quid dixi quod, si vel summo iure agatur, reprehendi possit? quam non utilem tantum, sed necessariam quoque esse palam affirmavi, esset modo dialectica pura, sincera, incontaminata, qualis ea demum est, quae locos, quae enuntiationum vires, quae formu- 25 2 las argumentandi commonstrat. hoc ipsum spectavit magnus ille Ambulator cum decem nominum generibus, ad haec enuntiationum tractatu, adiunctis concinnis collectionum typis, quae necessario demonstrant, quae suadent probabiliter, quae callide cavillantur. his, inquam, dialecticae suae paediam absolvit. qua utinam essent omnes contenti, praecipue 30 ut est ab eximio viro Iacobo Fabro Stapulensi tum repurgata, tum 3 scholiis illustrata! hanc qui erit assecutus (neque enim longo tempore opus erit, si dextre ac ingenue adolescentibus docili praeditis ingenio tradatur), mox ea velut instrumentum ad potiores disciplinas accommo- 4 dabit. utile est, immo necessarium, qui domum recens extructurus est, 35 instrumenta ut quam optima eademque usui accommodatissima paret. at quis non insaniorem Oreste pronuntiet et totis semel Anticyris dignum,

§ 9 Pers. 3, 118; Sen. Epist. 45, 5 sqq. (*8* nec ignoranti nocent nec scientem iuvant) || *§ 12 cf. Hor. Sat. II 3, 119* blattarum . . . epulae (*vide et supra Or. II 1, 3*); *Pers. 5, 62* at te nocturnis iuvat impallescere chartis || **6** *§ 4 de Oreste vide supra Or. II 1, 5; Hor. ars p. 300* tribus Anticyris caput insanabile

7 syncathegorematis **m** *corr. pro* syncha[. . || 18 chimeris **H** || 37 Antyciris **H**

qui tota vita nihil aliud quam instrumenta comparet et congerat, quibus numquam utatur? quale vero sit navem insignem adornasse, quae 5 perpetuo in portu haereat, a littore numquam solvatur, donec procellarum vi et aquae edacitate | a compagine soluta iam non navis sit, sed f. 240r
5 tabulae. nolim quemquam dialecticae insenescere maioremve aetatis 6 portionem in ea, uti ad Sireneos scopulos, conterere. hic si fas est dicere, mecum reus est sanctissimus dominus noster Leo decimus, qui proximo in concilio Lateranensi salubriter instituit (quod utinam aeque observent omnes!) ut in Academiis quoque supra quinquennium nulli philosophiae
10 parti quisquam insudet. Augustinus, antistes mansuetissimus, dialecti- 7 cam non dubitat *nodosissimam spinosissimamque* appellare, iniquior aliquanto illi quam ego, qui eam in oratione ipsa, cui nunc de capite periclitanti patronus assum, aperte praedicavi, idque neque maligne neque non dedita opera. quid hic feci? quid commerui? quaenam frons 8
15 tam frontosa quae ad verba mea corrugetur? sed interest plurimum a quo quid dicatur. a diversis *profecta oratio non idem valet eadem*, inquit anus illa Euripidaea.

Linguarum cognitionem his utilem esse confirmavi, qui sacras enarrare **7, 1** literas pararent. atqui Augustinus nihil veritus est eam pronuntiare esse
20 necessariam, cum ipse careret; quo magis ipsi credendum est. eandem 2 concilium Viennense, Basiliense ac proximum denique Lateranense publico diplomate, quod hisce oculis ipsemet vidi, valde probat. ad 3 haec quid mutire quisquam ausit? si linguas piaculum est laudare, quo nomine excusabimus qui aiunt cupere se non tres modo aut quinque
25 linguas, sed si fieri posset, septuaginta duas, tantum abesse ut unam aliquam damnent? et recte quidem illi mea sententia! nisi quod non usque 4 adeo multum linguis tribuere debemus ut sine his nihil esse in quoquam erudito eruditionis nobis persuadeamus.

Theologiam scholasticam parum probasse videor. scilicet hic teneor **8, 1**
30 medius, neque rima est, qua queam elabi. atqui nulla opus est rima, quando ex toto libello nulla potest coniectura colligi, qua hoc quisquam debeat suspicari, nisi sit (atque utinam nullus sit!) qui inter me et viros quosdam modis omnibus conspicuos ac probatos | frigidam suffundere f. 240v studio sibi habeat. alioqui nihil est quod in hac Venere vel Momus carpat.

§ 6 cf. Aul. Gell. XVI 8, 17 periculum ... erit ne ... in illis dialecticae gyris atque meandris tamquam apud Sirenios scopulos consenescas || *§ 7 August. De doctr. Christ. II 134 (xxxvii 55)* || *§ 8 vide supra Or. III 2, 1, 7, ubi eadem Hecubae verba laudantur* || **7** *§ 1 August. De doctr. Christ. II 34 (xi 16)* || *§ 2 cf. supra 3, 22, 2–5* || **8** *§ 1 Erasmus Adag. I iv 96 (LB II 180 A)* medius teneris; *I v 74 (LB 210 BF–211 AC)* Momus

2 quae m *addidit supra lineam* || 6 Syreneos **H** || 21 Vienense **H** || 25 duas m duo **H**

2 nonne hactenus in recepto theologiae studio versatus sum? nullis non disputationibus interfui, scholasticum in ipsis morem observans. quid itaque palam damno, quod palam sequor? mira vero impudentia si faciam! disputationes laudo, palaestram scholasticam amplector ut si quis alius, tantum ut moderatae sint atque a contentionum studio alienae. 5
3 hoccine optare fas non est, quod prudentissimus ille Augustinus optavit, cuius verba subscribam: *homo*, inquit, *timens Deum, voluntatem eius in Scripturis sacris quaerit; et ne amet certamina, pietate mansuetus, praemunitus etiam scientia linguarum, ne in verbis locutionibusque ignotis haereat, praemunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum,* 10 *ne vim naturamve earum, quae propter similitudinem adhibentur, ignoret, adiuvante codicum veritate, quam sola emendationis diligentia procuravit. veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda.*
4 in his tam paucis verbis Augustini, qui singula pensitabat, fere invenias quaecumque mihi impinguntur, ut ego, absoluto Augustino, iustis dam- 15
5 nari tribunalibus non possum quoquo modo. vult abesse contentionem, quae numquam abest sophistis. requirit ceu munimen quoddam linguarum scientiam. codices sollerter emendandos censet. idem et ego persuadere institueram. quod et Hieronymus fecit aliquoties, Cyprianus,
6 Ambrosius, Origenes. ad haec Thomas Aquinas, Nicolaus Lyranus, 20 Baptista Mantuanus in libello De Christi conceptione, et in altero rursus, quem De interpretum varietate elucubravit; ubi idoneis argumentis palam et copiose ostendit, etiam adductis exemplis manifestae depravationis vulgatorum codicum, Latinam translationem ex Graeca atque
7 Hebraica lingua esse restituendam. id quod Pontifex Maximus Leo deci- 25 mus et ipse in epistola ad Felicem Pratensem comprobat, Petrus Aliacensis minime negligendum credidit, hodieque cardinales quidam
f. 241r 8 aggressi | sunt. cum his si errem, an non honestus sit error tantos duces sequenti? quid quod huic meae sententiae omnibus punctis accedunt qui libris evulgatis codices diligentissime emendandos affirmant, Hieronymi 30 in hoc Augustinique consilium facile admittentes ut humanum quidem
9 illud, quod nec ego diffiteor. porro si quis hoc arrodat quod Scripturam sacram voluerim studiorum nostrorum primas occupare, huic cum Augustino paratum est certamen, hoc dilucide praecipiente. quod ne obiter ac in transcursu ceu parergon attigisse videatur, iterum atque iterum inge- 35 minat, infulsit, occinit, id quod nemo quidem nescit, qui huius libros vel a limine salutarit, ut non oporteat, quod perlongum foret nec perinde refert, huc eius verba citare, ne apologia ingens fiat volumen.

§ 3 August. De doctr. Christ. III 1 (i 1) . . . in scripturis sanctis diligenter inquirit . . ., adiuvante etiam codicum veritate, quam sollers . . . (*cf. ipsa Dorpii verba infra in 5* codices sollerter emendandos)

4 palestra **H** || 16 *an* possim *?* || 34 quod **m** *addidit supra lineam*

Postremo, si quid videri possim supra dignitatem laudibus vexisse, **9, 1** malim in hanc sane partem propendere atque ab orbita deflectere. candoris est laudare: fieri potest ut necessitatis sit vituperare. at hanc lubens volensque effugerim, si qua liceret. neque vero tam sinistro quisquam
5 iudicio esse debet ut huius laudes suam ducat iniuriam. non damnat 2 plumbum, qui huic aurum praefert; non afficit argentum iniuria, qui uniones huic anteponit. an Pauli laus ceterorum apostolorum vituperatio est? quid si vere veterem theologiam meis studiis praeoptem, cui sim iniurius? an non hic in suo quisque sensu abundet? quid si ceu satur
10 theologici studii dem operam iuri, an non claris exemplis huius quoque aetatis tueri me possim? si quis pertinacior animum inducere non potest 3 quin credat me damnasse quorundam studia, huic quid faciam? clamo me non fecisse, ne cogitasse quidem, nec causam fuisse ullam idoneam quamobrem facerem. testor nihil esse cur velim factum. certe neminem
15 nominavi. an satis non est generaliter dicere quod nec indicare quemquam consilium fuit? conscientia mille testes! interea si quid intervenit, certe 4 tum nihil fuit causae. non fuit animus quemquam offendere. | eventum f. 241ʳ quis praestare potest? per me licet cuivis sentire quod non est perniciosum. utra potior sit, vetusne an recens theologia, licet sine dispendio
20 salutis ignorare. equidem simplici veterum theologia facile contentus fuero, neque ullum ob hoc praeiudicium studiis neotericorum hinc nasci velim. sit suum cuique pulchrum. non sit in Christianis verum quod de 5 Isocrate et Aristotele Cicero scribit, quod *suo uterque studio delectatus contempsit alterum*. non est Christiani odisse quicquam nisi malum, nisi
25 peccatum. cetera omnia sua quodque ansa prehendat, qua teneri com- 6 mode possint. laudo divum Thomam, Augustinum praefero: cui sim iniurius? opitulante Deo operam dabo ut in utraque si non quod alii, certe aliquid valeam, ne tempus meum sine linea praeterfluat. vetus verbum est: *facimus pro opibus moenia*.

30 His singulatim lenibus spongiis, non aspera nitri acrimonia utcumque **10, 1** dilutis, quid est reliqui in oratiuncula quod merito quisquam reprehendat? si quid est, per ego omnia iura, quibus homines humanitatem hominibus debemus, oro ut Christiana charitate iudicetur. sin autem nihil quicquam est, rursus oro ne quis, mortua scintilla discordiae, flam-
35 mas excitet, quas non sit perinde facile restinguere. *concordia parvae res* 2 *crescunt, discordia maximae dilabuntur*. Paulus diligenter monet ut cum omnibus, quod in nobis sit, pacem habeamus. hunc animum offero, sedulo praestaturus si mihi invicem respondeatur; sin minus, quod non

9 *§ 5 Cic. Off. I 4* || *§ 6* sine linea] *cf. Plin. N. H. 35, 84* | vetus verbum] *Plaut. Stich. 695 (Erasmus Adag. I vii 62 = LB II 285 F)* || **10** *§ 2 Sall. Iug. 10, 2; Paul. Rom. 12, 18*

37 sit **m** est **H**

3 puto, non desinam tamen mei similis perseverare. solabor me conscientia mea, hac quidem in re nullius conscia mali. solabor me libris meis, iucundissima possessione. mussitabo semper aliquid et ne, aliis pulcherrimo conatu certantibus, ipse manus sub pallio habere videar, vel dolium versabo, vel iuxta Ismeniam 'mihi canam et Musis', ut Hieronymi utar 5 proverbio.

4 In his quae scripsi quemvis iudicem, quemvis arbitrum non recuso, qui idoneus videri possit. nam affectus non iudicat. odio, amicitia, invidia ceterisque perturbationum aestibus vacuum esse oportet | qui (f. 242r) aequum iudicium feret. amici personam exuit, qui iudicis induit; quanto 10

5 magis inimici personam abiicit. pulchrum est et scitum illud *ad paenitentiam properat, qui cito iudicat*. tametsi haec extra controversiam declamo. non est enim quod haec metuam. quod si mea omnia eo genio sunt ut nisi iratis Gratiis lucem ferre nequeant, age, in spongiam incumbant potius, ut ille olim *Aiax* Caesaris. 15

11, 1 Habes, benignissime patrone, oratiunculae meae apologiam, ipsi paene parem. cui cetera opuscula annexui ut iustum aliquod voluminis corpus

2 efficiant. haec tuo nomini ut mea omnia debebantur, si ingratitudinis notam effugere decreverim. bene vale.

§ 3 Erasmus Apophth. VI C 24 (LB IV 306 A) Antigenides Thebanus Ismeniae discipulo cum scite canens populo minus probaretur, 'mihi', inquit, 'cane et Musis'; *Hieronymi proverbium ubi legi possit nescio* ‖ *§ 5 Publ. Syrus 32* ad paenitendum properat, cito qui iudicat (*ed. Erasmus, Dicta mimi Publiani . . ., in: Catonis Praecepta moralia, Argentorati 1515*); *Suet., Aug. 85; cf. Erasmus, Adag. I v 58 (LB II 205 BD) in fine*

11 est **m** *addidit supra lineam*

ADNOTATIONES

AD ORATIONEM I

1) Ad Epistulam

tit. 'Magister Noster' titulus erat academicus professoris ordinarii in Facultate Sacrae Theologiae.

Iohannes Briardus Athensis inter praecipuos theologos Lovanienses aetatis Erasmianae numeratur. natus est Balioli (vulgo Beloeil) iuxta Athum in Hannonia die 5ª Ianuarii 1460, mortuus autem Lovanii die 8ª eiusdem mensis 1520. Lovanii artibus studuit et theologiae, cuius doctor est promotus die 11ª Februarii 1500. ab anno 1490 Mechliniae erat a confessionibus, mox et a consiliis Margarethae Eboracensis, ducissae Burgundiae. post ducissae mortem (23ª Nov. 1503) Lovanium rediit ad theologiam docendam. discipulus erat et amicus carissimus Adriani Ultraiectini, qui postea factus est Pontifex Maximus. ab Adriano munus vicecancellarii Universitatis accepit, non post illius profectionem in Hispaniam (1515), ut dici solet, sed ante Idus Februarias 1514, ut haec Dorpii epistola una cum libri colophone manifesto declarat. perierunt autem horum annorum Acta Universitatis itaque vera delati muneris dies ignoratur. vicecancellarius in ordine honorum academicorum secundus erat a rectore; conferebat omnes gradus academicos praeter theologiae doctoratum, item praeses erat tribunalis academici, quae Curia Conservatoralis appellabatur et lites inter Universitati suppositos et cives extraneos dirimebat.

De Briardo vide H. De Vocht, History I, 301–303; eiusdem Anecdota Humanistica Lovaniensia I: John Briart of Ath (1460–1520), Sacris Erudiri 7, 1955, 335–366; Catalogum Erasmus en Leuven, 298–299 n° 274 (Jan Roegiers).

6 Lilium (vulgo De Lelie) unum erat quattuor Collegiorum Facultatis Artium. cetera erant Porcus (Het Varken), Falco (De Valk) et Castellum (De Burcht).

Epistola procul dubio scripta est anno 1514. nam autumno 1513 Dorpius nondum erat theologiae licentiatus, contio autem prelo est emissa die 18ª Februarii 1514. unde apparet epistolam quasi in typographia esse scriptam.

2) Ad Orationem

2, 1 Hodie, i. e. die assumptionis Mariae sive 15ª Augusti.

Evangelium: legebatur Luc. 10, 38–42.

Annuntiationis festum die 25ª Martii celebrabatur.

Hebraica nomina: qui sint illi 'qui Hebraice norunt' ignoratur. at nomina *Μαριάμ* et *Μαρία* iam sensu distinguuntur in antiquissimis Onomasticis sacris graecis. cf. Onomastica Sacra, ed. P. de Lagarde, Gottingae 1870^1 (1887^2), 175, 176, 179, 195, 203. de diversitate nominum Beatae Virginis (*Μαριάμ*) et aliarum Mariarum (*Μαρία*) vide quae scripsit O. Bardenhewer, Der Name Maria. Geschichte der Deutung desselben, in: Biblische Studien I 1, Friburgi Brisgoviae 1895, 9–12.

2, 4 Graece 'bonam': scil. *τὴν ἀγαθὴν μερίδα.*

2, 5 Sententia Augustini: Dorpius sententiam adfert e Decreto Gratiani, distinct. IX, canone sive capite vi: *Libris veterum ebrea volumina, novis greca auctoritatem impendunt. Idem* (= Augustinus). integram autem sententiam, quae est: *Ut veterum*

librorum fides de ebreis voluminibus examinanda est, ita novorum greci sermonis normam desiderat adfert idem Dorpius in oratione Paulina 17, 5, item Matthaeus Adrianus in oratione Lovanii in Collegio Trilingui 1519 habita, necnon Petrus Mosellanus in Oratione de variarum linguarum cognitione paranda, Lipsiae 1518. vide De Vocht, HCT I, 310 et 538. Gratiani Decretum sententiam illam Augustino iniuria tribuit. est revera Hieronymi in epistula 28 ad Lucinium Baeticum: vide editionem J. Labourt, S. Jérôme, Lettres, t. IV, Parisiis 1954, n° LXXI 5 (p. 13). errorem significaverunt editores Decreti veteres (vide etiam Aem. Friedberg, Corpus Iuris Canonici, Lipsiae 1879, repetitum Graecii 1959, t. I, 17), at non sustulerunt ob glosam canoni additam, quae haec habet: „Hieronymus in secundo prologo Bibliae contra ait dicens quod emendatiora sunt exemplaria latina quam graeca, et graeca quam hebraea . . .“ locus hic Hieronymianus est Praefatio in Pentateuchum ad Desiderium (cf. Migne, PL 28, 152 A), quem item laudat Dorpius. Decreti glosa legi potest in plerisque editionibus saecc. XVI – XVIII. usus sum editione Venetiis 1584 edita (Decretum Gratiani emendatum et notationibus illustratum una cum glossis), vide p. 37.

Abbreviatio *d. cō. c.*, quae in editione contionis Lovaniensi legitur, obscura est. non dubitandum esse videtur de *d.*, scil. 'distinctio', et *c.*, quod est 'caput', 'capitulum' vel 'canon'. at *d.* litterae praemitti solet numerus Romanus (e. g. *IX d.*), ut sciat lector quo loco quaerat. hic numerus quoniam apud Dorpium non invenitur, *cō.* autem nullum sensum praebere videtur idoneum, typographum erravisse putamus itaque legendum esse *nō.*, id est 'nonae'. ceterum vide J. IJsewijn, Martinus Dorpius und ein angebliches Augustinzitat, Wolfenbütteler Renaissance-Mitteilungen 5, 1981, 139 – 142.

7, 3 Simili modo Erasmus locutus est in capitulo XII, quod anno 1521 aut paulo ante declamationi De contemptu mundi adiecit. vide editionem declamationis a S. Dresden curatam: Erasmi . . . Opera Omnia, t. V 1, Amstelodami 1977, 1 – 86 (84, 189 – 200); item de opusculi vicissitudinibus: M. Haverals, Une première rédaction du 'De Contemptu Mundi' d'Erasme dans un manuscrit de Zwolle, Humanistica Lovaniensia 30, 1981, 40 – 54.

8, 1 Dorpius de Maria loquens interpretationem secutus est Patrum Latinorum, qui contra Graecorum opinionem (quam praetulit Iacobus Faber Stapulensis) unam eandemque mulierem tres illas habent Marias, quae sunt Maria Lazari soror, Maria Magdalena necnon Maria peccatrix. vide i. a. J. Fisher, De unica Magdalena libri tres, Parisiis apud Badium 1519, et in genere A. Hufstader, Lefèvre d'Etaples and the Magdalen, Studies in the Renaissance 16, 1969, 31 – 60.

10, 3 *Virtutum areolas mira distinxerat arte* est integer versus dactylicus hexameter. num aliunde adsumpsit Dorpius?

11, 4 Elisabeth praecone praegnas, i. e. quae gravida erat Ioanne Baptista filio.

13, 1 Quater Maria locuta est, nempe (1) ad angelum Gabrielem (Luc. 1, 34 – 38), dein (2) ad Elisabeth cognatam (Luc. 1, 46 – 55) et (3) ad Iesum filium in templo (Luc. 2, 48), demum (4) Cannae inter nuptias (Ioh. 2, 3 – 5). cf. sermonem Dominicae infra Octavam Assumptionis B. M. V. Bernardi Claravallensis (Migne, PL 183, 435 B): *In omni denique textu quatuor Evangeliorum, si bene meminimus, nonnisi quater Maria loquens auditur.*

14, 2 Dorpius unde XLVII annos Mariae tribuerit nescio. Iacobus de Voragine in Legenda aurea 119 (114) haec tradit: . . . *secundum quod ait Epyphanius XXIV annis adscensionem filii sui supervixit. refert ergo, quod beata virgo, et quando Christum concepit, erat annorum XIV et in XV ipsum peperit et vixit cum eo annis XXXIII et post mortem Christi supervixit XXIV annis et secundum hoc, quando obiit, erat annorum LXXII. probabiliter tamen videtur quod alibi legitur ut XII annis filio supervixerit et sic sexagenaria sit assumta* (ed. Th. Graesse, reprod. phototypica, Osnabrugae 1969, 504 – 505).

15, 1 De angelis ministrantibus vide etiam eandem Legendam auream cap. laud. et pro exemplo aliorum sanctorum cap. 3, 7 de Sancto Nicolao (p. 26).

15, 2 Simili modo Ioannes Ludovicus Vives anno 1514 Parisiis scripsit in opusculo c. t. Ovatio Mariae.

15, 8 Ultramundani primates, ni fallor, sunt archangeli. cf. et infra ad 16, 1.

16, 3 Fecunda virginitas, quae non est in nobis, i. e. Maria virgo et mater, quam conditionem non est videre in ceteris mortalibus.

AD ORATIONEM II

Causa huius orationis habendae erat altera editio typis impressa Dialecticarum disputationum Laurentii Vallae, quam Iodocus Badius Ascensius Parisiis excudendam curaverat Kalendis Septembribus anni 1509: *Dialectice Laurentii Vallae Libri tres seu eiusdem reconcinnatio totius dialecticę et fundamentorum universalis philosophiae, ubi multa adversus Aristotelem, Boetium, Porphyrium . . . disputantur.* hac in editione Badius secutus est editionem principem, s. l. a. [Mediolani, ca. 1496–1500, ut rei peritis nunc videtur], quae trium versionum operis Valliani mediam praebet. haec autem versio est, quae ab omnibus deinceps viris doctis est lecta; ceterae in codicibus manu scriptis latuerunt. ut patet ex epistola nuncupatoria editioni Parisinae addita, opus Badio suppeditavit Petrus Vincka, sacerdos, signator apostolicus, artium et ludi Brugensis apud Flandros magister. qui fortasse librum aut ipse ex Italia redux attulerat, aut Brugis, qua in urbe multi degebant Itali nonnullique inter eos litterarum studiosi, apud notum sibi virum doctum invenerat.

Editionis Parisinae descriptionem necnon epistolam nuncupatoriam invenies apud Ph. Renouard, Bibliographie des impressions et des œuvres de Josse Badius Ascensius, imprimeur et humaniste (1462–1535), 3 voll., Parisiis 1908 (anastatice Novi Eboraci 1967), III, 345–346.

Opus Vallianum diversis locis postea typis est iteratum, i. a. Basileae apud Henric Petrum anno 1540, unde commode repetitum est in: Opera Omnia L. Vallae, ab Eugenio Garin phototypice expressa in corpore Monumenta politica et philosophica rariora inscripto, Augustae Taurinorum 1962 (vide t. I, 643–761). trium denique versionum editionem criticam curavit Gianni Zippel in Thesauro Mundi, voll. 22–23, Patavii 1982–1983: Repastinatio Dialectice et philosophie. is vero tertiam potissimum versionem proposuit in priore editionis suae tomo, lectiones autem mediae varias in superiorem apparatum rettulit: hoc igitur loco ipsa verba invenies, quae Dorpius olim novit.

Opus hoc Vallianum quomodo a viris doctis renatarum litterarum aetate acceptum sit breviter enarravit P. Mack, Valla's Dialectic in the North: A Commentary on Peter of Spain by Gerardus Listrius, Vivarium 21, 1983, 58–72 (cf. 58–59). eum tamen fugit Dorpii oratio.

Ad Dorpium logicae Aristotelicae professorem quod attinet vide eius Introductionem facilem seu Terminorum libellum (Parisiis 1512), quem supra in Praefatione memoravi. ceterum haud mirum est Dorpium Aristotelis auctoritatem tam acriter defendisse, siquidem Petrus Ramus annis plus triginta post Parisiis *in ius et ad iudicum subsellia* vocatus est, *quod . . . in Aristotelem philosophorum principem ac Theologiae scholasticae fundamentum inquisierit liberius* ideoque *interdicitur Ramo tum omni scriptionis, tum praeceptionis genere.* cf. Rami Vitam a Nancelio scriptam, Humanistica Lovaniensia 24, 1975, 161–277 (180).

2, 2 *Thersitis*: genetivum hunc soloecum pro *Thersitae* Dorpius finxisse videtur exemplis *Achilles/-is* et *Ulixes/-is* in errorem ductus. memoria fortasse tenebat locum Iuvenalianum (Sat. 11, 30–31) *loricam posuit Achillis / Thersites, in qua se traducebat Ulixes.*

3, 1–4 Cf. Gualterus Burleius Anglus (ca. 1275–post 1343), Vitae philosophorum et poetarum, cap. liii, De Aristotele: . . . *factus autem annorum XVII mittitur Athenas, ubi adhaesit Socrati tribus annis. quo mortuo adhaesit Platoni annis XX et tantam adeptus est dilectionem Platonis et diligentiam circa studium philosophiae quod Plato domum Aristotelis domum lectoris vocabat. et saepe dicebat: 'Eamus ad lectoris domum'. et ipso absente a lectione Plato clamabat: 'Intellectus abest. surdum est auditorium'.* cf. ed. Hagenoae 1510, ff. xxiii^{v}–xxiiii^{r}; item H. Knust, Gualteri Burlaei Liber de Vita et Moribus philosophorum, mit einer altspanischen Übersetzung der Eskurialbibliothek herausgegeben (Bibliothek des litterarischen Vereins in Stuttgart, CLXXVII), Tubingae 1886, 234. Dorpius unde sumpserit vocem *non adest philosophus veritatis* mihi quidem non liquet. an a Burlaeo quodam interpolato?

6, 2 Alexander Aphrodisaeus, philosophus peripateticus, annis 198–211 Athenis docuit. cf. F. E. Crantz, The Prefaces to the Greek Editions and Latin Translations of Alexander of Aphrodisias 1450 to 1575, Proceedings of the American Philosophical Society 102, 1958. Antoni⟨n⟩us et Severus imperatores sunt Septimius Severus eiusque filius M. Aurelius Severus Antoninus Caracalla, quibus Alexander opus De fato dedicavit. cf. Alexandre d'Aphrodise, De fato ad imperatores. Version de Guillaume de Moerbeke. Edition critique avec introduction et index par P. Thillet, Parisiis 1963, 65: Alexandri Affrodisiei ad imperatores Antoninum et Severum Liber de fato.

monosophus vox, quod sciam, neque in Latinis neque in Graecis lexicis invenitur. itaque nescio unde eam sumpserit Dorpius. fortasse corrupta est e duobus vocibus graecis *μόνος* et *σοφός* ab auctore aliquo Latino, qui linguam Graecam parum callebat.

6, 7 Plutarchi libellum De fortuna vel virtute Alexandri Gulielmus Budaeus anno 1503 Parisiis latine vertit, anno 1505 iterumque 1514 Iodocus Badius Ascensius typis impressit. vide Ph. Renouard, Bibliographie . . . de Josse Badius Ascensius . . . 1462–1535, t. III, Parisiis 1908, 171–173, nn. 2–3 et 7.

7, 2 Aesopi fabulae legebantur latine versae ab Aldo Manutio, quarum princeps editio anno 1505 Venetiis prodiit. vide C. Dionisotti, Aldo Manuzio editore. Dediche – Prefazioni – Note ai Testi, Mediolani 1975, t. I, 92; II, 263. editio Manutiana saepissime typis est iterata, i. a. apud Theodoricum Martini, Lovanii 1517 (M 142 = NijKron. 31), apud Frobenium nonnumquam. repetita est etiam in corpore a Ioachimo Camerario seniore Tubingae anno 1538 edito necnon in Mythologia Aesopica Isaaci Nicolai Nevelet, Francofurti ad M. 1610. fabella a Dorpio allata est 219. non legitur autem inter fabulas ab ipso Dorpio in altero corpusculo apud Theodoricum Martini anno 1513 prolato (M 95 = NijKron. 27). cf. P. Thoen, Aesopus Dorpii. Essai sur l'Esope latin des temps modernes, Humanistica Lovaniensia 19, 1970, 241–316; id., Les grands recueils ésopiques latins des XVe et XVIe siècles et leur importance pour les littératures des temps modernes, Acta Conventus Neolatini Lovaniensis, edd. J. IJsewijn et E. Kessler, Monachii et Lovanii 1973, 659–679.

AD ORATIONEM III

1) Ad Epistulam

tit. Menardus Vir seu Mannius (cf. Or. IV 5 dedic.), abbas O. S. B. abbatiae Egmondanae apud Hollandos, Dorpii erat patronus et maecenas. Lovanii in artibus studia inchoavit eodem anno, quo natus est Dorpius (1485), die 8^{a} m. Decembris. electus est abbas die 10^{a} m. Novembris 1509, mortuus est anno 1526, id est uno fere anno post Dorpium. plura legas apud De Vocht, Monumenta 63–72.

7 Dorpius in epistola *Hollandis suis* data (ed. Lovanii 1514 in libro c. t. Dialogus, f. Fii^{r}–iii^{v}) testatus est se vidisse codicem Annalium Egmondensium: *Siquidem in*

patroni mei domini abbatis Hecmundensis insigni bibliotheca Annales vidi multis iam saeculis asservatos (f. Fii^{v}, vv. 22–25). horum Annalium capite quarto haec leguntur: *Dicitur autem Hallem nunc Egmunda, quia per praeclara merita et praedicationem S. Confessoris Adalberti ab omni spurcitie idololatriae extitit emundata. sic ergo Egmunda tantum sonat sicut emundata terra, vel secundum aliquos ab Eggone, amico S. Adalberti, est vocata, et sic debet scribi per K, scilicet Ekmunda, aut potius debet scribi Haecmunda, quasi haec loca mundata a barbaris* ... ceterum his de Annalibus vide dissertationem Noviomagensem Victoris J. G. Roefs, De Egmondsche abtenkroniek van Johannes a Leydis, Sittardi 1942, quae editionem criticam horum Annalium continet (cf. p. 118).

2) Ad Orationem

1, 7 Anno 1512 Dorpius fabulas Aesopicas aliasque edendas curaverat (cf. De Vocht, Monumenta 361–363 n° 12), inter quas legitur quaedam de Iove et simia. huic apologo subscribitur: *Suum cuique pulchrum, ut est adagium. et alibi apud Theocritum in Aeglo.: 'Quae minime sunt pulcra, ea pulcra videntur amanti'.* (cf. f. Dii^{v} in editione Argentoratensi anni 1515, cuius exemplari usus sum Vaticano). qua autem in *Aeglo(ga)* hic versus legatur mihi non liquet. ad sensum in genere quod attinet proxime accedit ecloga XXIII (Erastes).

2, 1 *scribiligine* pro *stribiligine* accipiendum est. Dorpius falso etymo in errorem inductus esse videtur vocemque ad *scribendi* verbum origine rettulisse.

3, 10 Stapulenses: adludit ad nomen Iacobi Fabri Stapulensis, vulgo Jacques Lefèvre d'Etaples, philosophi et theologi Parisiensis (ca. 1450/55–1536), qui studiosus erat Aristotelis satis illustris. nam anno 1492 dum in Italia moratur, Aristotelis operibus potissimum operam dedit; postea in patriam ubi revertit et in Collegio Parisiensi a cardinali Lemoine dicto philosophiam legebat, Aristotelis Organon partim typis edidit, d. 26^{a} Oct. 1501, totum autem 17^{a} Oct. 1503. primae parti in titulo haec i. a. praemisit: *Nunc ergo, o iuvenes, ex Aristotelico opere ceu ex proprio fonte purissimas haurite delibateque aquas, peregrinas autem tamquam viles lacunas insalubresque Trinacrie lacus devitate* ... cf. A. Renaudet, Préréforme et Humanisme à Paris pendant les premières guerres d'Italie (1494–1517), Parisiis 1953^{2}, 410–417; E. F. Rice, The Prefatory Epistles of Jacques Lefèvre d'Etaples and Related Texts, Novi Eboraci et Londini 1972, 86–90 et 106–107; vide et Dorpii verba, infra IV 5, 6, 2 (p. 100).

Una cum Fabro Dorpius explodit *argutiarum fabros* seu philosophos Sorbonenses suae aetatis, qui magna ex parte erant *peregrini*, utpote qui e Scotia, Britannia, Hispania aliisve regionibus exteris oriundi. adversus eosdem etiam Ioannes Lud. Vives paucis annis post (1519) Lovanii libellum edidit In Pseudodialecticos inscriptum. cf. editionem criticam, quam paravit C. Fantazzi, Leidae 1979, necnon emendationes a J. IJsewijn propositas, Wolfenbütteler Renaissance-Mitteilungen 4. 1980, 131–135.

3, 12 Chrysippi libros Athenienses num aliquando combusserint nescio. fortasse de alio philosopho agitur.

6, 1–7 Aeneas Silvius Piccolomineus (1405–1464) ex paupere litterarum studioso summis eloquentiae dotibus nisus, factus est episcopus Tergestinus (1447), mox Senensis (1449), dein cardinalis (1456) ac denique Petri solium ascendit nomine Pii II sibi assumpto (1458). pleraque huius curriculi momenta et facta, quae Dorpius memoravit, etiam leguntur in utraque Pii vita, una ab Ioanne Antonio Campano, altera a Bartholomaeo Platyna in Libro de vita Christi et omnium Pontificum conscripta. utramque critice edidit G. C. Zimolo, Le Vite di Pio II di G. A. Campano e B. Platyna (Rerum Italicarum Scriptores III iii), Bononiae 1964. Platynae liber Venetiis 1479 primum prodiit, Campani Vita inter eius Opera omnia a Michaele Ferno Romae 1495 publici iuris facta iterumque Venetiis 1501. pro certo tamen non habeo Dorpium omnia his ex fontibus hausisse; sunt quae suadeant, ut ordo ille

nominum *Argentina . . . Sabaudia,* qui idem in iis est obvius; sunt vero quae discordent, sicut *Elionorae* nomen, quae in vitis est *Leonora,* eiusque contemptus senis imperatoris. quamquam id Dorpius ornandae orationis causa finxisse potest. de Tergestinis rebellibus solus Campanus, ni fallor, est locutus.

6, 8 Ioannes Antonius Campanus (1429–1477) Perusiae professor creatus est *ad lecturam auctorum et facultatis oratoriae* die 16ª Novembris 1455. at uno fere mense ante (21ª Octobris) orationem habuerat, de qua ipse narrat in epistula ad Petrum Ransanum. Dorpius falso ad Kalendas Octobres refert. cf. F. Di Bernardo, Un Vescovo umanista alla Corte Pontificia: Giannantonio Campano (1429–1477), Romae 1975, 60–61. Campani Epistolas familiares una cum aliis Antonii Sabellici Theodoricus Martini edidit Lovanii die 27ª Ianuarii 1513, curante Hadriano Barlando. cf. NijKron. I 515 et Martens n° 85.

6, 9 Rudolfus Agricola Frisius (1444–1485) Ferrariae ad inaugurandum annum academicum 1476/77 orationem habuit in laudem philosophiae et reliquarum artium, quae est *dicta . . . in praesentia Herculis Estensis, Ferrariensis ducis,* ut ipsius orationis subscriptio testatur. hanc orationem Dorpius novit per editionem a Petro Aegidio Antverpiae apud Theodoricum Martini die 31ª Ianuarii 1511 (= 1512?) curatam: *R. Agricolae Opuscula nonnulla collecta a Petro Aegidio.* quem librum Aegidius Dorpio nostro dicavit. cf. NijKron. I 46 et Martens n° 75; H. De Vocht, Monumenta 358–360. oratio commode legitur in altero Operum Agricolae tomo ab Alardo Amstelredamo Coloniae Agrippinae anno 1539 edito (*Lucubrationes aliquot*), 144–159, et ap. H. Rupprich, Humanismus und Renaissance in den deutschen Städten und an den Universitäten. Lipsiae 1935 (Darmstadt 1964), 164–183.

10, 1 Geometriae laudem Dorpius unde hauserit non satis liquet. valde differt a Martiano Capella, quibusdam etiam verbis usus est, quae apud antiquos auctores (*ovales*) aut saltem apud geometras (*lenticulares, columnares*) non reperiuntur. quae e scholastico quodam libello sui temporis aut e fonte quodam medioaevali sumpsisse videtur.

10, 3 De Gynda fluvio post Herodotum (I 189–190, 202; II 52) varii auctores varie locuti sunt. inter eos, quos Dorpius novisse potuit, sunt Seneca De ira III 21, 1–3 et Paulus Orosius Adv. paganos II 6, 4. hunc potissimum Dorpius in animo habuisse videtur. nam Senecae verba *in trecentos et sexaginta rivos dispergeret* minus cum Dorpianis quadrant quam Orosii *in quadringentos sexaginta alveos comminuit.* Dorpii minor numerus (*quadraginta sex*) aut memoriae lapsu aut etiam typographi errore explicari potest.

11, 1 Dorpius geocentricam Ptolemaei doctrinam sequitur e tractatu, ut videtur, medioaevali: nam vox *epicyclius* pro *epicyclus* (si non est error typographicus) apud antiquos non legitur.

12, 3–7 Ad hunc locum conscribendum Dorpius pro oculis habebat Plin. N. H. 2, 89sqq., unde et interdum integra verba repetiit aut paululum immutata reddidit. ad § 3 cf. in 191 *et motus terrae hiatusque,* et in 193 *alibi prostratis moenibus . . ., alibi emissis amnibus, nonnumquam etiam ignibus calidisve fontibus. praecedit vero comitaturque terribilis sonus.* ad § 4 de Britannia vide 217 *octogenis cubitis supra Britanniam intumescere aestus Pytheas Massiliensis auctor est* et 222 *sic mari late patenti . . . saporem incoqui salis; . . . ideo summam aequorum aquam dulciorem profunda.* ad § 5 vide 104 *lapidibus pluere* et 147 *lacte et sanguine pluisse,* item *lana pluit,* quod Dorpius in *ranas* mutasse videtur (fortasse et de altera Aegypti plaga in Exodo putabat, quamquam hoc loco non agitur de pluvia). *terra pluere* habet, ni fallor, e Livio XXXVII 3, 3; XLV 16, 5 etc.

13, 2 De divina artis medicae origine et oratores Itali complures et Erasmus locuti sunt. huius Declamatio in laudem artis medicae ineunte anno 1499 scripta, typis autem primum edita Lovanii anno 1518, paulo post initium haec habet: . . . *eius auctores aut plane pro diis habiti sint . . . aut certe divinis honoribus digni sint existimati.* cf. eius Opera Omnia I iv, Amstelodami 1973, 164–165, 31–33.

17, 1 Pythagorae sententia legitur apud Porphyrium Vita Pythag. 42 (ed. E. des Places, Parisiis 1982, 85). at Dorpius hanc vitam certo certius non novit, siquidem editionem principem C. Rittershusius Altorfii curavit anno 1610; locum, ni fallor, sumpsit ex Adagiis Erasmianis I i Prov. II: Pythagorae Symbola (LB II 23 BC) *coronam ne carpseris*, ubi ad Hieronymum refertur. cf. Hier. Epist. adv. Rufinum (= Apologia contra Ruf. III) 39 (ed. P. Lardet, S. Hieronymi presbyteri Opera III, Corpus Christianorum, series latina LXXIX, Turnholti 1982, 109, 55–56).

17, 3 Ad hunc locum confer quae de legum abusu idem dixerit Dorpius in oratione IV Paulina 10, 8.

21, 3 Lesbia regula, vox veterum architectorum, memoratur ab Aristotele Eth. Nic. V 10, 7 (1137b 29–33). Dorpius autem vocem novit ex Adagiis Erasmi I v 93 (LB II 217c), sed parum intellexit. nam hoc loco et altero (cf. H. De Vocht, Monumenta 119, 73–74) fixam eam credidit, quae revera est flexibilis.

22 Laus Lovanii partim veris rebus, partim oratoriis flosculis est composita. de huiusmodi laudibus vide J. K. Hyde, Medieval Descriptions of Cities, Bulletin of the John Rylands Library 48, 1965, 308–340; C. J. Classen, Die Stadt im Spiegel der Descriptiones und Laudes Urbium, Hildesiae et Novi Eboraci 1980; P. G. Schmidt, Mittelalterliches und humanistisches Städtelob, apud A. Buck (ed.), Die Rezeption der Antike (Wolfenbütteler Abhandlungen zur Renaissanceforschung 1), Hamburgi 1981, 119–128. ad ipsum quod attinet Lovanium vide catalogum Erasmus en Leuven, Lovanii 1969, 61–69.

3sqq. Montes Lovanienses, etsi vernacule *berg* vocantur, revera sunt colles valde humiles. septemtrioni obiecti sunt Caesaris mons (Keizersberg) ab occidente, Cessellii montes (Kesselse bergen) ab oriente. fontes olim erant in urbe aliquot, e. g. Niemandsborne (unde rivulus Bakelein originem traxit in via Diesthemiensi), qui secundum doctam quandam memoriam alter et Latinus fons erat in horto Ioannis Lud. Vivis. binorum fontium Vivicorum memoriam servat lapis anno 1556 positus, nunc autem parieti interno Hallae seu Aedium Universitatis Lovaniensis adfixus: *Hic gemini fo(n)tes Graecus fluit / atque Latinus. / Sic eos appellat Lodo. Vives / Valent. / in Linguae Exercitatione.* cf. M. Nauwelaerts, De Spaans-Nederlandse Humanist Juan Luis Vives en Leuven, Mededelingen van de Geschied- en Oudheidkundige Kring voor Leuven en Omgeving 12, 1972, 173–207 (174–175, cum imagine).

Fluvii sunt Dilia (Dijle) eiusque accola Fura (Voer). agri Lovanienses revera sunt fertilissimi, saeculo XVI etiam vinetis celeberrimis ornati, quorum et hodie testes sunt nomina viarum a torculari (Wijnpersstraat) et ducis vinea ('s Hertogenwijngaard) dicta. lacus appellat, ut videtur, stagna piscosa abbatiae Parcensis extra muros. antra (10) erant lapicidinae in via ab his vocata (Groevestraat, hodie autem Tervuursestraat). quod autem dicit intra moenia esse hortos etc., id magna ex parte verum erat usque in alteram nostri saeculi partem. denique *ditissimae insulae* (13) fortasse referendum est ad Americam.

23 Templum divi Petri ecclesia principalis est urbis Lovaniensis et egregium exemplum artis gothicae Brabantinae. aedificatum est annis 1425 – ca. 1497 itaque Dorpii temporibus plane novum erat.

24, 2 De studiorum universitate Lovaniensi vide i. a. catalogum 550 Jaar Universiteit Leuven, Lovanii 1976, et librum memorialem De Universiteit te Leuven 1425–1975, Lovanii 1976, qui etiam linguis francogallica et anglica divulgatus est (L'Université à Louvain; The University of Louvain). his addas bibliographiam a Iacobo Pacquet editam in: Bibliographie internationale de l'histoire des Universités, I, Genavae 1973, 103–229, et eiusdem Bibliografie der geschiedenis van de oude Universiteit Leuven (1425–1797). Publicaties in de jaren 1972–1976 uitgegeven, Bijdragen tot de Geschiedenis 62, 1979, 267–294. novissima invenies in novo illo instrumento bibliographico annali, quod est The History of European Universities. Work in Progress and Publications, editum curante J. Fletcher (Birmingham) I, 1978 et sqq.

Ab initio Lovanii quattuor sunt conditae Facultates, nempe Artium, Medicinae et utriusque Iuris (1425); quibus anno 1432 addita est Theologia. studiosorum numerus saeculo XVI variasse aestimatur inter ca. 1670 et 2190, qui conspicuus erat iisce temporibus numerus.

24, 4 Cf. E. J. M. Van Eijl, De theologische Faculteit te Leuven in de XVe en XVIe eeuw. Organisatie en opleiding, in libro eiusdem curis edito, cui titulus: Facultas S. Theologiae Lovaniensis 1432 – 1797. Bijdragen tot haar Geschiedenis, Lovanii 1977, 69 – 153. vide 102, ubi hoc decretum e Statutis primitivis (ca. 1437 – 1442) et posterioribus (ca. 1600) adfertur.

24, 12 Philippus Bonus Burgundiae dux anno 1430 Brabantiam adeptus est.

24, 13 Dorpius laudat quattuor urbes principales veteris ducatus Brabantiae: Antverpiam portum, Bruxellam novum ducatus caput, Buscumducis sive Silvamducis ('s Hertogenbosch), quod erat oppidum adversus hostes septemtrionales Gelros et Hollandos, et Lovanium prius ducatus caput.

24, 15–17 Secundum usum historiographicum saecc. XV^{i} – XVI^{i} Dorpius Pippinum Parvum et Carolum Magnum primos Brabantiae duces habuit. simili modo Lovanii et alii fecerunt auctores, e.g. Henricus de Oesterwijck in Carmine in laudem Brabantiae (ca. 1430), vv. 27 – 32 (Humanistica Lovaniensia 18, 1969, 15), item amicus eius Edmundus de Dinter in Cronicis ducum Brabantiae. alii Brabantiae historiam a Francis saltem inchoant, e. g. Hadrianus Barlandus in Historia ducum Brabantiae (Lovanii 1526, retractata 1532 et saepius).

25, 8 Pasaites seu Baiazetus I (ca. 1360 – 1403) quartus est Turcarum sultanus. de fato eius Aeneas Silvius (ad quem in margine editionis refertur) ita locutus est: *Thamerlanes genere Parthus, gregarius miles, adeo inter suos . . . excelluit ut brevi multarum gentium dux fieret . . . regem omnium potentissimum Pazaitem, Turcarum dominum . . . apud Armenos praelio superatum . . . vivum cepit caveaque in modum ferae inclusum per omnem Asiam circumtulit,* Historia rerum ubique gestarum locorumque descriptio, 31 (cf. Opera, Basileae 1551, 313 A 8 sqq.); *Pazaiten catena vinctum* [Thamerlanes] *prandens quasi canem sub mensa sua comedere iussit; ascensurus equum eo tamquam scabello usus est,* Europa sui temporis varias continens historias (Opera 395 C 12).

25, 9 Maximilianus Caesar die 16^{a} Augusti Ludovicum XI Francogallorum regem profligavit, dein Morinorum coloniam seu Theruanam (Thérouanne, Terwaan) et Tornacum (Tournai, Doornik) aggressus est. Tornacum cepit die 21^{a} Septembris 1513 et milites Angli ab Henrico VIII Caleto (Calais) missi praesidium ibi obtinuerunt. earum rerum nuntius vix Lovanium pervenerat, cum Dorpius hanc orationem habuit. cf. Fr. Haraei Annales I – II, Antverpiae 1623, 669; 529 – 530.

25 12 *Summos pontifices*: Dorpius fortasse cogitabat de Pio II vel etiam Sixto IV.

25, 19 Hieronymus linguas Hebraicam et Chaldaicam seu Aramaicam novit. Dorpius Arabicam pro Hebraica dixisse videtur.

AD ORATIONEM IV

1) Ad Epistulam

tit. Epistola Erasmi die 10^{a} m. Iulii [1516] data legitur et apud Allen, Opus Epistolarum D. Erasmi II 438.

1 Ioannes Paludanus Cassiletanus (ex oppido Cassel in Flandria meridionali, nunc in Francogallia septemtrionali, ortus) ab anno 1490 rhetoricae professor erat Lovaniensis, ab anno 1510 item poeticae. mense Septembri 1502 Erasmum liberaliter excepit, qui postea Luciani opusculum De mercede conductis latine versum ei dedicavit. obiit 20^{a} Februarii 1526. amicus et fautor litterarum humaniorum erat. eius erat discipulus Hadrianus Barlandus, primus Latinitatis professor in Collegio Trilingui Lovaniensi, alter discipulus Gerardus Listrius, qui commentarios in

Laudem stultitiae ei dedicavit. ipse carmen et epistolam Petro Aegidio datam principi Utopiae editioni praemisit. cf. H. De Vocht, History of . . . the Collegium Trilingue Lovaniense, t. I, Lovanii 1951, 184–190; P. Bietenholz (ed.), Contemporaries of Erasmus, vol. I, Toronti 1985, 389 s. v. Desmarez.

3 Cuthbertus Tunstallus (natus in comitatu Eboracensi, ut videtur, 1474, mortuus Dunelmi? 1559) orator et episcopus Anglicus, inter optimos Thomae Mori et Erasmi amicos numerabatur. cf. epistolam ab Erasmo Bruxellis 28ª Octobris 1516 ad Budaeum datam, Allen II 480, 5–10: *adest hic Cutbertus Tunstallus, apud Anglos scriniis praefectus, sui regis nomine apud Carolum Principem nostrum orator, vir praeter utramque literaturam, qua neminem suorum non superat, iudicio excusso ac naris emunctissimae, tum modestia quadam inaudita, postremo moribus festivis ac citra gravitatis detrimentum amoenis.* vide et C. Sturge, Cuthbert Tunstal: Churchman, Scholar, Statesman, Administrator, Londini 1938, et P. Bietenholz, o. l. sub 1 (sub prelo).

2) Ad Epistulam

tit. Beatus Rhenanus (Selestadii 1485 – Argentorati 1547), Erasmi amicus, cuius opera apud Frobenium edita vigilanti cura prelo commisit. cf. A. Horawitz – K. Hartfelder, Briefwechsel des Beatus Rhenanus, Lipsiae 1886, iteratum 1965, et P. Bietenholz, o. l. sub 4, 1, 1, p. 104–109. vide et infra 4, 4, 10.

7 M. Tullius Cicero e. g. longe aliter pro Milone locutus est atque postea scriptam edidit orationem. cf. testimonium Asconii Pediani in fine Enarrationis in Milonianam, ed. A. C. Clark p. 42, et Dionis Cassii XL 54, 2.

9 Nicolaus Buscoducensis, vulgo Nicolaes van Broeckhoven, natus est Silvae seu Busci Ducis ('s Hertogenbosch) in Brabantia septemtrionali circa a. 1478. Erasmum adolescentulum fortasse novit in urbe natali. anno 1503 Lovanii artium baccalaureus, anno post fortasse magister est renuntiatus. anno 1510 Lovanii studiosorum praeceptor erat et in typographia Theodorici Martini plagulas corrigebat. anno 1512 Dorpii Introductionem ad Aristotelis libros Logice intelligendos prelo paravit epistolaque d. 10ª Novembris e Paedogogio Lilii data Gisberto Bronchorstio, principi Batenburgensi dicavit. anno 1514 rector creatus est scholae Latinae Medioburgensis apud Zelandos, tribus annis post eodem munere Ioanni Custodi Brechtano successit Antverpiae. hac in urbe etiam Michaeli Hillenio typographo et Dorpianae orationis editori operam dedit. ab anno 1521 studii Lutherani accusatus magis magisque in varias aerumnas et miserias incidit itaque anno 1528 Germaniam petit. Bremae uxorem duxit, demum ca. annos 1550–1556 Blancoburgi Hartiorum pastor diem supremum obiit. cf. M. Nauwelaerts, Nationaal Biografisch Woordenboek, t. I, Bruxellis 1964, 282–283; id., Humanisme en Onderwijs, in libro c. t. Antwerpen in de XVIᵉ eeuw, Antverpiae 1975, 257–300; Bietenholz 204–205.

3) Ad Orationem

4, 2 *Glosa ordinaria* in re theologica-exegetica vocatur praecipuus in Bibliam commentarius mediae aetatis inferioris. excerptis e patribus conflatus et circa annum 1130 ad finem perductus, ab omnibus scriptoribus exegeticis iterum iterumque adhibitus est usque ad Lutheri et Erasmi tempora. editio princeps [Argentorati anno 1481] prodiit, mox Basileae apud Iohannem Frobenium non semel est recusa, e. g. curis C. Leontorii, 1506–1508. qua editione Erasmus senex usus esse videtur, eandemque fortasse in manibus habuit noster. cf. B. Smalley, The Study of the Bible in the Middle Ages, Oxonii 1952², 46–66; H. J. de Jonge, Erasmus und die Glossa ordinaria zum Neuen Testament, Nederlands Archief voor Kerkgeschiedenis 56, 1976, 51–77; The Oxford Dictionary of the Christian Church, edd. F. L. Cross and E. A. Livingstone, Oxonii 1977, s. v.

10, 10 Dorpius hoc loco auctores quosdam mediae aetatis explosit exemplum secutus Erasmi, Alexandri Hegii (in Invectiva in modos significandi), aliorum. sunt ex ordine Iohannes Garlandinus Anglus (ca. 1180 – ca. 1258), grammaticus et paedagogus, cuius Disticha (moralia) enarrabantur (cf. Erasmus, De pueris instit., Opera Omnia I ii; 77, 12 – 13); Ebrardus seu Everardus Alemannus Bremensis (saec. XIII ineunte), qui artem poeticam docuit in Laborinto; denique Ebrardus alter Bethuniensis († 1212?), qui ab opere grammatico Graecismus inscripto plerumque Graecista appellatur. vide H. De Vocht, History, I, 76 – 85; D. Van den Auweele, Note sur le «Grecismus» d'Evrard de Béthune, Archief- en bibliotheekwezen in België 48, 1977, 630 – 635. J. Chomarat, Grammaire et rhétorique chez Érasme, Parisiis 1981, I, 183 – 224, in nota 14 paginae 186 per errorem 'Ebrardum Graecistam' unum eundemque auctorem esse credidit itaque locum quendam Antibarbarorum Erasmi emendandum perperam proposuit.

11, 3 Iisdem laudibus Erasmus Hieronymum cumulavit. vide J. Chomarat I, 179 – 182: Note sur Érasme et Saint Jérôme.

13 Simili modo Ioannes Ludovicus Vives invectus est 'in Pseudodialecticos'. vide supra ad III 2, 3, 12.

14, 7–8 Dorpius hoc loco breviter comprehendit quae Stultitia Erasmiana de theologis scholasticis declamavit. cf. Erasmi Opera omnia IV iii, 144, 381 sqq.

15, 9–10 Hoc etiam loco Dorpius Stultitiam Erasmianam prae oculis habuisse videtur: cf. 166, 635 – 638. vide et Antibarbaros, Opera omnia I i, 90, 4 – 10. doctor gentium est sancti Pauli titulus (cf. Rom. 11, 13); doctor irrefragabilis est Alexander Halensis, angelicus Thomas Aquinas, subtilis Ioannes Duns Scotus, seraphicus Bonaventura, mellifluus Bernardus Claravallensis; magister sententiarum est Petrus Lombardus. quis fuerit, immo num fuerit aliquis doctor gloriosus mihi non liquet. *ceteri doctores* permulti sunt, ut Albertus Magnus, qui universalis, Robertus Baco, qui mirabilis, Iohannes Gerson, qui christianissimus, Dionysius Carthusiensis, qui extaticus appellabatur, nonnullique alii.

18, 1–2 Petrus de Alliaco sive Pierre d'Ailly (Compendii 1352 – Avenione 1420), theologus, archiepiscopus Cameracensis (1397) et cardinalis (1411), permulta scripsit opera varii generis, quorum editio fide digna plerumque desideratur. de bibliotheca monasterii divi Martini apud Lovanienses (vulgo Sint-Maartensdal), qua et Erasmus persaepe usus est, vide W. Lourdaux et M. Haverals, Bibliotheca Vallis Sancti Martini in Lovanio, t. I: De bewaarde handschriften / The Surviving Manuscripts, Lovanii 1978, t. II: De geschiedenis van de bibliotheek en de evolutie van haar inhoud / The History of the Library and of its Contents, 1982. in altero volumine (418 – 420) Petri de Alliaco adfertur *Epistola . . . pulcherrima et magistralis ad novos Hebreos et est contra calumpniatores translationis beati Iheronimi*. hanc, ni fallor, epistolam Dorpius vidit. at eius codex, quem varii laudant catalogi veteres, periisse videtur aut saltem bibliothecae Martinianae studiosos pertinaciter fugit.

Dorpius nihil scire videtur de aliis Bibliae latinae correctoribus, qui media aetate floruerunt, sicut Nicolaus Maniacoria diaconus S. Laurentii in Damaso Romae, aut etiam saeculo XV, sicut Bessarion cardinalis. de iis vide J. Monfasani, George of Trebizond, Leidae 1976, 90 – 97.

18, 4 De Fabro Stapulensi vide adnotationes ad Orationem III sub 2, 3, 10. hoc loco Dorpio in mente sunt Sancti Pauli Epistolae XIV ex vulgata editione adiecta intelligentia ex Graeco, cum commentariis Iac. Fabri Stapulensis, Parisiis apud Henr. Stephanum, 25 decembr. 1512 iterumque 1516, fortasse et Quincuplex Psalterium, Parisiis 1509 iterumque 1513. cf. G. Bedouelle, Lefèvre d'Etaples et l'intelligence des Ecritures (Travaux d'Humanisme et Renaissance 152), Genavae 1976; id., Le Quincuplex Psalterium de Lefèvre d'Etaples (Travaux . . . 170 [editionis 1513 phototypia] – 171), Un guide de lecture, Genavae 1979.

18, 7 Libellus hic *de codicibus sacris castigandis* (cf. et notam in margine) non extat. fortasse erat inter ea scripta, de quibus Moringus in Vita Dorpii tradit: *Accepi*

praeterea varia non indigna editione secum habuisse, nisi quod convictor aliquis eius nescioquis scrinia eius a morte suppilasse fertur, omniaque neglectius reposita surripuisse. cf. De Vocht, Monumenta 272, 444–448.

19, 6 Nicolaus Lyranus (1270–1349) praecipuus est exegeta biblicus mediae aetatis posterioris. scripsit Postillam litteralem (1322–1331) seu commentum in omnem sacram Scripturam, cuius extant plurimae editiones a saec. XV ad XVIII typis excusae. vide J. H. Bentley, Humanists and Holy Writ, Princetonii 1983, 20–31.

19, 7 Cardinalis Dartusensis sive Dertusensis est (H)Adrianus Florentius Ultraiectinus, theologiae professor et cancellarius Universitatis Lovaniensis, qui postea electus est Pontifex Maximus et nomen sibi dedit Adriano VI. Dorpius locos adfert ex opere eius, quod apud Theodoricum Martini ipse Dorpius excudendum curaverat. inscribitur *Questiones quotlibetice Excellentissimi viri, artium et sacrae theologiae professoris longe celeberrimi M. Hadriani Florentii de Traiecto Prepositi insignis ecclesie sancti Salvatoris Traiectensis atque preclariss. academie Lovaniensis cancellarii.* prodiit Lovanii ex officina Martiniana mense Martio anni M. D. XV. operi praemittitur epistola Dorpii ad Menardum Mannium; in ultimo folio averso ultima verba sunt haec *Dicta Dorpii*:

Comoedia est vita mundi: Totus mundus est homini { *pio quidem theologia*
impio vero heresis.

vide Martens M 109 = Nij Kron. 9. usus sum exemplari Facultatis theologicae Lovaniensis. idem typographus editionem iteravit mense Augusto anni M.D.XVIII, omissis tamen additamentis Dorpianis (Martens M 157 = Nij Kron. 10). Dorpius hos quidem locos adfert: (1) e Quaestione secunda, f. XX^{v} sive dii^{v}, col. I^{A}: *nulli unquam licet contra propriam sententiam seu opinionem agere, nec iudici contra opinionem pronunciare. probatur primo per illud exo(di) 23 iuxta hebraycam veritatem: 'non declinabis post Rabbim ad malum, et non respondebis in iudicio post Rabbim ad peccatum.'* (2) e Quaestione quinta (non quarta), f. XLII^{r} sive [g vi^{r}], col. IIE: *neque etiam obstat motivum domini Alexandri de Hales ex ca(pite) Exodi 22, quia absolute dicitur decimas et primicias tuas non tardabis offerre, quia veritas hebraica (ut post rabbi Salomonem Lyra refert neque reprehenditur in hoc a rabbi Paulo Burgensi) sic habet: 'plenitudinem et lachrimam tuam non tardabis reddere.'* (3) e Quaestione octava, f. LXXI^{r} sive n i^{r}, col. II: *misertus divine conditionis Petrus: 'absit a te, inquit, Domine, non erit tibi hoc.' vel secundum Hieronymum ut significantius in greco habetur: 'propicius sis tibi, Domine . . .'.*

19, 9 Triplex psalterium revera est quincuplex. vide supra ad 18, 4.

19, 10 Monasterium Haecmundense (Egmond apud Hollandos, cf. supra ad Or. III 1, 7) conditum est a Theodorico (vulgo Dirk) I, Hollandiae comite secundo, qui filius erat Gerulfi primi comitis. mortuus esse videtur circa annum 939. Theodorico I successit Theodoricus II filius, qui usque ad 988 potestatem tenuit. genuit filios duos, Arnulfum, qui postea quartus Hollandiae comes factus est (988–993), et Egbertum, qui electus est archiepiscopus Treverensis et sedit annis 977–993. educatus erat in abbatia Haecmundensi, apud Treveros autem artibus eximie favit codicesque locupletissime exornandos et describendos curavit. vide hac de re i. a. Lexikon des Mittelalters, II (Monachii et Turici 1983), s. v. Codex Egberti, 2203–2204. in Annalibus Egmondensibus, cap. XIII, De Andrea abbate secundo, haec leguntur: *Circa hec tempora sanctus Egbertus, Treverensis archiepiscopus, filius Theodrici comitis Hollandie, in cenobio Egmondensi memoriam perpetuam promeruit. ibi enim de cruce Dominica magnam partem auro inclusam legavit cum dalmatica, . . . missale . . . passionale, tripartitum psalterium, Maiorem Donatum, glossarium . . .* cf. editionem Victoris J. G. Roefs supra laudatam (ad Or. III 1, 7) 124.

Dorpius manifesto erravit, ubi dixit *annis abhinc plus septingentis* pro *plus quingentis*, item ubi *a fratre primi comitis Hollandiae*, nisi putes Arnulfi nomen

excidisse et legendum esse: *a fratre ⟨Arnulphi⟩ primi, comitis Hollandiae,* quod quidem ego vix credam.

20, 5 Concilium Florentinum Ferrariae inchoatum est die 8ª m. Novembris 1437, die autem 10ª m. Ianuarii 1439 Florentiam transvectum; diebus 5ª et 6ª m. Iulii 1439 decretum ecclesiis readunandis probavit et promulgavit. imperator Graecus erat Ioannes VIII Palaeologus, patriarcha autem Iosephus II. de hoc concilio vide J. Gill, The Council of Florence, Oxonii 1961; Personalities of the Council of Florence, ib. 1964, et opuscula collecta Church Union: Rome and Byzantium (1204–1453), Londini 1979.

20, 7 Helvidius secundum Gennadium, De viris illustribus 33, Romae librum edidit, quo *ita sanctarum Scripturarum sensum . . . flectere conatus est ut earum testimoniis adserere voluerit sanctam Mariam post nativitatem Domini, quem virgo peperit, Ioseph sponso suo iunctam et ex eius consortio filios suscepisse.* hoc opus periit, Dorpius vero novit Librum adversus Helvidium de perpetua virginitate beatae Mariae, quem Hieronymus annis 382/383 composuit (Migne, PL 23, 211–338).

Eunomius Cyzicenus, Arii sectator, a Basilio Magno et Gregorio Nysseno amplis operibus est refutatus. cf. Migne, PG 29, 497–670; 45, 237–1122. de Manichaeis vide i. a. August. Confess. V 21 (xi) *Manichaei . . . cum dicerent Scripturas Novi Testamenti falsatas fuisse a nescio quibus, qui Iudaeorum legem inserere Christianae fidei voluerunt, atque ipsi incorrupta exemplaria nulla proferrent . . .*

21, 2 Hac de re conferas i. a. Erasmi Apologiam ad Adnotationes Stunicae, passim. novam editionem curavit H. J. de Jonge, Opera Omnia IX 2, 1983.

22, 2 Concilium Viennense anno MCCCXI linguarum Hebraicae, Chaldaicae et Graecae studia decrevit colenda Parisiis, Oxonii, Bononiae, Salmantici et in sede Curiae Romanae. nota in margine veterum editionum *Cle. de Magist.* significat '[Constitutio] Cle[mentina prima, titulo] de Magist[ro]'. de his Constitutionibus Clementinis seu Libro septimo Decretalium vide A. Van Hove, Prolegomena ad Codicem Iuris Canonici, editio altera, Mechliniae – Romae 1945, 366 § 372.

Eodem concilii Viennensis argumento usus est die 21ª m. Martii 1519 in Collegio Trilingui Lovaniensi Matthaeus Adrianus, cum orationem haberet de linguarum laudibus. cf. H. De Vocht, HCT I, 538–539, 105–113. huius orationis duo exstant exemplaria: prius Berolinense, quo usus est De Vocht, alterum, quod paucis annis ante emit bibliotheca Universitatis Lovaniensis. Dorpius argumentum fortasse ab Adriano sumpsit et orationi typis iamiam excudendae adiecit.

22, 12–14 De Erasmo, Valla et Fabro Novi Testamenti interpretibus vide J. H. Bentley, Humanists and Holy Writ, Princetonii 1983. Erasmi Novum Instrumentum mense Februario 1516 Basileae erat editum, id est quattuor et quod excurrit mensibus ante orationem a Dorpio habitam. anno 1517 Erasmus, cum Lovanium sedem transtulisset, Paraphrases in Epistolas Pauli inchoavit, quorum Ad Romanos (Lovanii 13ª Novembris 1517), Ad Corinthios (Februario 1519) et Ad Galatas (Maio 1519) typis Martinianis prodierunt ante orationem Dorpii in lucem emissam. cf. R. A. B. Mynors, The Publication of the Latin Paraphrases, in: Collected Works of Erasmus: New Testament Scholarship. Paraphrases on Romans and Galatians, edited by R. D. Sider, Toronti 1984, xx–xxix.

4) Ad Epistulam

Haec epistola die 28ª m. Novembris 1519 data edita est a P. S. Allen, Opus Epistolarum D. Erasmi, IV 1044; paucis tantum verbis constricta et commentis illustrata invenitur apud De Vocht, Monumenta 374–375 n° 35 et 221–225.

3 Nicolaus Everardi (vulgo Everaerts) natus est anno 1461 aut 1462 in pago Grijpskerke apud Zelandos, mortuus autem Mechliniae die 9ª m. Augusti 1532. anno 1493 Lovanii creatus est iuris utriusque doctor. ab anno 1509 ad diem 20^{am} m. Septembris 1528 Hagae Comitum erat praeses Summorum Ordinum Hollandiae, Zelandiae et

Frisiae. pater est celeberrimorum illorum 'trium fratrum Belgicorum', qui sunt Ianus Secundus, Hadrianus Marius et Nicolaus Grudius poetae latini clarissimi. vide De Vocht, Monumenta 95, et NBW VII 214.

4 Gerardus Assendelphus eques, dominus de Assendelft et Heemskerk, e generosissima gente ortus, quae ab ineunte saeculo XIV ad XVII apud Hollandos floruit, natus est circa annum 1488. anno 1528 cum Nicolaus Everardi in praefecturam Magni Consilii Mechliniensis promotus esset, Gerardus ei successit praeses Ordinis Hollandiae. hoc munus tenuit usque ad mortem, qua die 5ª m. Decembris 1558 Hagae Comitum succubuit. filius eius Nicolaus annis 1532–1534 Collegii Trilinguis Lovaniensis erat alumnus. pater non tantum Dorpii, sed et Erasmi amicus erat sincerus. cf. De Vocht, Monumenta 95–98.

5 Gardianus Mechliniensis fuisse videtur Ioannes Bijl(kens) seu Bilhemius, qui anno 1529 factus est provincialis O. F. M. Germaniae Inferioris. mortuus est Mechliniae postridie Kal. Nov. 1540. cf. Allen, IV 1044.

Amandus Zirixaeus sive de Zierikzee, Zelandus, frater Minorita, Lovanii annis 1506–1510 docuit in studio primario ordinis sui apud Germanos Inferiores. mortuus est Antverpiae vere 1534. scripsit i. a. Chronica compendiosissima (Nij Kron. I 108), quae edidit Franciscus Titelmannus confrater, a quo dictus est vir Hebraice, Syriace et Graece doctus. cf. Allen, IV 1044 et De Vocht, HCT II 121; III 57 et 511.

9 Dominus Edmondensis vel melius Ecmondensis abbas est Meinardus Mannius, de quo vide adnotationem ad or. III 1.

10 Ioannes Frobenius Franconus (ca. 1460–1527) celeberrimus est ille Erasmi editor Basileensis, qui saepe opera Erasmiana Lovanii vel alio loco primum excusa elegantius nitidiusque iterum iterumque expressit et in totum orbem divulgavit. qua in re opera usus est Beati Rhenani, de quo vide supra adnotationem ad 4, 2. cf. K. Branler, J. Frobenius, ein Fürst der Buchdrucker des 16. Jahrhunderts, Fuldaer Geschichtsblätter 36, 1960, 135–145; Bietenholz, s. v. Frobenius J. (sub prelo).

11 Richardus Paceus Anglus (ca. 1483–1536), episcoporum et regis Anglorum famulus et orator, Erasmum primum vidit Ferrariae mense Decembri 1508. cf. De fructu qui ex doctrina percipitur (The Benefit of a Liberal Education), by Richard Pace. Edited and translated by Fr. Manley and R. S. Sylvester, Novi Eboraci 1967.

12 Collegium Atrebatense (vulgo College van Atrecht) die 15ª m. Septembris 1508, id est uno fere anno ante mortem, in studiorum universitate Lovaniensi condidit pauperibusque artium studiosis destinavit Nicolaus Ruterius Luxemburgensis (1442–1509), a secretis Caroli Temerarii, Margarethae Eboracensis, Maximiliani Caesaris et Philippi Pulchri, atque ab anno 1501 episcopus Atrebatensis (Arras/Atrecht). ad huius collegii bibliothecam pertinuisse videtur, fortasse ex dono ipsius Ruterii, luculentissima illa Biblia Andecavensis (olim Bessarionis falso dicta), quae nunc servatur in bibliotheca Facultatis Theologicae Lovaniensis. collegium semper exstat in via Namurcensi (vulgo Naamsestraat, olim Prooststraat). situm erat proxime a collegio S. Donatiani in via Cattorum (nunc de Beriotstraat), quod horto tetigit. quo in collegio nunc diruto Erasmus habitavit a mense Iulio 1517 ad primos m. Septembris dies, quo tempore, ut videtur, Dorpii patrem in Collegio Atrebatensi salutavit. vide catalogos Erasmus en Leuven 87–95, nˢ 65–69; 550 Jaar Universiteit Leuven 80–85, nˢ 114–119.

13 Iacobus Mauricius, Goudae apud Hollandos natus, iuris utriusque licentiatus, hoc tempore erat consiliarius Summi Ordinis Hollandiae. cf. De Vocht, Monumenta 374 n. 7.

15 Ioannes N(a)evius (vulgo De Neve) Hondiscotanus Flander ab anno circiter 1515 (1509?) regens erat collegii Lilii, in quo Erasmus mense Septembri 1517 sedem suam Lovaniensem stabiliverat. quo in collegio Nevius die 12ª mensis Aprilis 1494 magister artium creatus erat, linguam Latinam, postea etiam logicam et physicam docuit. erat itaque Dorpii primum praeceptor, dein collega. de rixa inter eos anno 1519 orta pauca eaque incerta scimus. mortuus est Lovanii die 25ª mensis Novembris 1522.

cf. H. De Vocht, Joannes Naevius and the Date of His Death, Mélanges Charles Moeller, Lovanii 1914, t. II, 82–86; HCT I, 200; Allen, Opus Epistolarum Erasmi, III 696 et 838.

15 Paschasius Berselius (natus in Molenbeersel in Limburgia, quae nunc est Belgica, anno incerto, mortuus Leodii m. Maio exeunte 1535), monachus Benedictinus abbatiae S. Laurentii Leodiensis, a die 18ª m. Iulii 1519 linguae Graecae studuit in Collegio Trilingui Lovaniensi. novit Erasmum, Vivem, Budaeum aliosque humanarum litterarum studiosos. cf. De Vocht, HCT I, 495–500; Bietenholz 140.

Rutgerus Rescius Dryopolitanus (natus Dryopoli, vulgo Maaseik apud Limburgos, mortuus Lovanii postridie Kal. Oct. 1545) ab anno 1515 corrector Graecus erat typographi Theodorici Martini, postea primus Graecae linguae professor factus est in Collegio Trilingui, Kal. Sept. 1518. cf. De Vocht, HCT I, passim; J. Roegiers, m. m. v. Jacqueline IJsewijn-Jacobs, Twee nieuwe bronnen voor de stichtingsgeschiedenis van het Collegium Trilingue, Charisterium H. De Vocht 1878–1978, uitgegeven door J. IJsewijn en J. Roegiers (Supplementa Humanistica Lovaniensia II), Lovanii 1979, 50–63.

Ioannes Coelmannus Delphus Batavus annis 1506/1510 apud Dorpium studiosus artium erat in Lilio, postea doctor iuris canonici. ab anno 1516 ineunte aut paulo prius rector seu prior seu pater erat sororum Franciscanarum conventus S. Agathae Delphis Batavorum. mortuus est hieme 1538 ante diem 12ªm mensis Martii. cf. De Vocht, Monumenta 375 n. 1.

5) Ad Apologiam

Hanc Apologiam copiosis notis instruxit H. De Vocht, Monumenta 94–112. quas ad notas legentem refero; hoc loco praecipua tantum repetam et fontes aliquot declarabo.

tit. de Mannio vide supra adnotationem ad or. III 1.

1, 1 *primitiae*: est oratio III de laudibus disciplinarum.

1, 3 Utrumque opusculum periit. cf. praefationem meam p. X.

1, 4 Mensibus Octobri et Novembri Dorpius Hagae Comitum et apud Hollandos suos moratus est. vide supra epistolam ad Erasmum (4, 4, 3).

1, 5 De Nicolao Everardi vide supra ad 4, 4, 3.

2, 1 *anno superiore*: Dorpium hoc loco editiones Basileenses (1520) in animo habuisse potius quam Antverpiensem (1519) probavit De Vocht, Monumenta 98–100.

5, 3 Facultas iam exeunte primo vitae eius anno, i. e. die 2ª m. Iunii 1427, statuit neminem in philosophia legere posse nisi prius iureiurando spopondisset se numquam docturum esse Ioannem Buridanum, Marsilium ab Inghen vel Gulielmum Occamum. cf. De Vocht, Monumenta 104, ad 312.

5, 7 Dorpius hoc loco obscurissima scripta explodit dialecticorum Sorbonensium suae aetatis, qualis erat Gaspar Lax Aragonensis, Ioannis Ludovici Vivis magister. iste philosophus anno 1512 Parisiis varia opuscula edidit, quae inscribuntur Exponibilia, Insolubilia, Obligationes etc. Exponibilium specimen offert Rita Guerlac in libro suo Juan Luis Vives Against the Pseudodialecticians, Dordraci – Bostoni – Londini 1979, 199–205. haec mulier docta, etsi philosophiae scholasticae valde est perita, confiteri debuit (24) se Laxi opera in suam linguam transferre ita non posse ut aliquo saltem modo intellegi possent! vide et catalogum a. J. Estelrich editum c. t. Vives 1492–1540, Parisiis 1942, 3–14 et imprimis 5–8.

6, 2 *Ambulator* est Aristoteles 'peripateticus'. de Organo eius a Fabro Stapulensi edito vide supra ad or. III 2, 3, 10.

6, 6 Decretum die 19ª m. Decembris 1513 datum. cf. J. D. Mansi, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio, 53 voll., Parisiis – Lipsiae – Arnhemiae, 1901–1927, t. XXXII, 842–843; L. von Pastor, Geschichte der Päpste im Zeitalter der Renaissance und der Glaubensspaltung, von der Wahl Leos X. bis zum

Tode Klemens VII., 1513–1534, 2 voll., Friburgi Brisgoviae 1906–1907, I, 563; De Vocht, Monumenta 107.

8, 5–6 Eadem nomina adfert Erasmus in Praefatione Novi Instrumenti, edd. 1ª, 4ª et 5ª.

8, 6 De Nicolao Lyrano exegeta vide supra ad 3, 9, 16. Baptista Mantuanus, Carmelita, poeta et theologus (1448–1516), qui magis extra Italiam quam apud suos claruit. opera eius collecta anno, quo mortuus est, Lugduni prodierunt duobus tomis comprehensa. in altero volumine, quae opera pedestria continet, alterum locum et tertium obtinent tractatus De loco conceptionis Christi et De variis interpretationibus sacrae Scripturae. Dorpius hunc librum legit, siquidem nulla exstat horum tractatuum editio praeter Lugdunensem ante mortem eius typis impressa. cf. E. Coccia, Le edizioni delle opere del Mantovano, Romae 1960, 63 n° 286.

8, 7 Leo X privilegio die 10ª m. Octobris 1515 dato Felici Pratensi permisit ut Bibliam denuo latine verteret. quod privilegium praemissum est huius versionis parti primae, quae est Psalterium ex Hebraeo, Venetiis 1515. Felix ille ex rabbino monachus Augustinianus factus est et Romae praedicare solebat. mortuus est fere centennis anno 1559. vide De Vocht, Monumenta 109.

De Petro Alliacensi vide supra ad 3, 18, 1–2.

Cardinales: De Vocht, Monumenta 110, ex Erasmo adfert Paulum episcopum Sempronianensem, Thomam cardinalem Caietanum et Augustinum (Steuchum) Eugubinum.

9, 2 De Vocht in exemplum adfert Iodocum Laetum (vulgo De Vroeije) Gaverensem Flandrum, Dorpii amicum et Liliensem collegam, qui sacerdos factus et theologiae studiosus, dein ad iura se vertit et in utroque doctor est promotus die 22ª m. Maii 1520, annis 1524–1533 iura docuit. cf. Monumenta 110.

11, 2 Haec opuscula perierunt omnia.

INDICES

1. INDEX NOMINVM

2. INDEX GEOGRAPHICVS

2. INDEX GEOGRAPHICVS

3. INDEX VERBORVM RECENTIORVM, QVAE APVD ANTIQVOS NON LEGVNTVR

4. INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM

4. INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM

4. INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM

5. INDEX LOCORVM

Biblia sacra

5. INDEX LOCORVM

BIBLIOTHECA TEVBNERIANA

Cato. De agri cultura

Herausgegeben von A. Mazzarino, Messina/Rom
2., verbesserte und erweiterte Aufl.
CXXXV, 138 Seiten mit 12 Abbildungen im Anhang
Leinen DDR 44,– M; Ausland 44,– DM
Bestell-Nr. 6659046 – Mazzarino, Cato lat.

Cicero. Scripta quae manserunt omnia

Fasc. 4. Brutus

Herausgegben von E. Malcovati, Pavia
2. Aufl. (verbesserte Ausgabe der 1. Aufl. von 1965)
XVIII, 126 Seiten. Leinen DDR 13,– M; Ausland 13,– DM
Bestell-Nr. 6655408 – Malcovati, Cicero 4 lat.

Fasc. 5. Orator

Herausgegeben von R. Westman, Abo
XXXIII, 99 Seiten. Leinen DDR 36,– M; Ausland 36,– DM
Bestell-Nr. 6659791 – Westman, Cicero 5 lat.

Fasc. 8. Oratio pro Sex. Roscio Amerino

Herausgegeben von H. Kasten, Hamburg
XIV, 62 Seiten. Leinen DDR 9,80 M; Ausland 9,80 DM
Bestell-Nr. 6654448 – Kasten, Cicero 8 lat.

Fasc. 16. Orationes de lege agraria. Oratio pro C. Rabirio perduellionis reo

Herausgegeben von V. Marek, Prag
XX, 74 Seiten. Leinen DDR 26,– M; Ausland 26,– DM
Bestell-Nr. 6661568 – Marek, Cicero 16 lat.